J 4494
a

J 4494
α

J 4494 α

Slovanská knihovna

SLOVANSKÁ KNIHOVNA
3186187955

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

RESPONSA

AD VASTUM ILLUD:

CROATIAE AC SLAVONIAE

CUM

REGNO HUNGARIAE

NEXUS ET RELATIONES,

DISQUISIVIT

GEORGIUS FEJÉR,

BIBLIOTHECARIUS REGIUS, BUDAE TYPIS REGIAE UNIVERSITATIS HUNGARICAE ANNO 1839 EDITUM OPUS;

119900

NON MINUS QUAM ET AD ILLUD:

DE SITU, ET AMBITU SLAVONIAE ET CROATIAE, QUEM CRITICE ILLUSTRAVIT ET DE EO IN USUM CROATARUM LATINE DISSERUIT

GEORGIUS GYURIKOVITS,

PESTINI 1844 TYPIS TRATTNERIANIS PROCUSUM,

PER

UNUM E CROATIS

Responsa

ADORNATA, ET

TYPIS GAJIANIS ZAGRABIAE EDITA

1847.

Digitized by Google

7. 4494.
MINISTERSTVO ZAHRANIČNÍCH VECÍ
SLOVANSKÁ KNIHOVNA
V PRAZE

Audiatur et alia Pars — sine ira, et studio.

Juris Ordo.

Timeo, ne connivere sit: hoc tacere.. In talibus Causis non caret suspicione taciturnitas ... Merita namque causa nos respicit, si silentio faveamus errori.

S. Coelestinus PP. in defensione S. Augustini adversus Massilienses.

Digitized by Google

UNIUS E CROATIS

RESPONSA

AD OPERA:

DE

CROATIA & SLAVONIA

PER

GEORGIUM FEJÉR & GEORGIUM GYURIKOVITS

EDITA.

Digitized by Google

Digitized by Google

Author operis: »*Croatiae ac Slavoniae cum Regno Hungariae nexus, et relationes,*« sub Aegide altioris, ut jam in ipso mox limine gloriatur, Nutus eam agitatae non minus in Comitiis, quam et publicis, ac privatis Congressibus, et editis ad nauseam continuo scriptis, et adjectis plurium adhuc edendorum minis, Quaestionis: cujus Regni pars integrans sit inferior Slavonia, flammam exstincturus protractam syringam in vicem naturalis elementi aquae implevit oleo, dumque versus Croatiam quatere coeperat, perfudit etiam Hungariam, atque ita in suscepto labore non tantum non profecit, ut potius malum auxerit, dum igni adhuc alimentum suppeditando Pandorae plane pixidem infeliciter aperuit. Inde enim majores adhuc cordium scissiones, perturbationes animorum graviores, apertae insectationes, infausta Nationalitatis bella. *Meum* enim, ac *Tuum*, frigidum illud, ut ait Div. Chrisostomus, verbum, et quidquid est Malorum, in vitam nostram invehens, innumeraque gignens bella, causavit hoc malum, cui nec praecepta Divina, nec Edicta humana adhuc medendo sunt. Sed nec secus fieri poterat: Vir enim hic affectibus, abjecto veritatis, et impartialitatis, quae in tali opere requiruntur, studio, abreptus, in locum ut assumptum Thema pro altiori nutu, bonorum desiderio, suo autem bono non otioso otio, et praesto habitis adminiculis historice, statistice, ac politice integra, prout oportuisset, fide, ac seposito omni partium studio, et, ut, sicut Belius in Praefatione ad Lucium cupit, cogitato, maturoque consilio, atque operis eo attentioribus pertractasset, quo minus est diffitendum, Historiam nostram esse passim hiulcam adhuc, et incertis narrationibus perplexam, et

Digitized by Google

ita elaborare ivisset, ut dubia a certis, a veris fabulosa discriminentur, refellantur ista, illa genuinis Monumentis.... solide atque indubitate adstruantur, operatus fuisset, atque ita delata sibi provincia fructuose defungeretur, recedendo ab eo, quod assumpserat, Disquisitoris officio, ad gratiam potius, ac quaestum, quam ex amore, et radice veritatis scribere perexit, sicque scriptis suis in graviorem errorem alios, alios autem in iram justam conjicit; ambas vero partes necessario in mutuas rixas foedo omine traxit. E volumine ejus facilius est quidem, sed bono Critico, vero Chronologo, attento Lectori, et vigili in citata Inquisitori cognoscere, quae aperte falsa sint, quam quid sit reipsa veri discernere. Quis enim, cui litera non favet, quive oculo aeque, ac animo magis intenso Diplomata ejus in Vulgus projecta considerat, non advertet: non principales res, quod oporteret, sed incidentes voces, nihil utique operantes, in favorem suorum trahi? Et quis non perspiciet eorundem et ad invicem, et cum suis plerumque confictis rubricis pugnas, quae in subruendam potius, quam inquirendam veritatem tendunt? Quis, cui vacat citationes Scriptorum cum originalibus, prout necesse est, conferre, non advertet, eas vitiatas esse in essentialibus, interpollatas aut multilatas in verbis et ordine, seu contextus, seu temporis alteratas, sicque in alium sensum, quam reipsa habent, tractas, historicam veritatem omnimode depravantes? Quid illi vacui verborum lusus, anachronismi, proprii ingenii argutiae et suorum compopularium praejudicia, quibus Croatae ad silentium cogi quaeruntur? Talibus armis miserum hoc Regnum eo, quo jam saepe undique accisum et laceratum est, modo e reali justo titulo, et modo cum suo ad has partes adventu acquisito possessorio beatissimae Sirmiensis etiam partis, ac felicis Poseganae plagae, nec non totius, quod adhuc inferioris Slavoniae residuum est, quantum in se foret, dictata fastuoso tono, quod Muneris sui non fuit, sententia, privare velle itur. Visis his, data opera recte in re-

Digitized by Google

bus gravissimis nimium frequentibus aberrationibus, perpensisque solitis e taciturnitate pessimis sequelis, et conspecto etiam perquam perspicue eo, quod in opere illo non quaeratur, ut is, qui desideratur, quove nec aetate antiquior, nec fide arctior in Europa datur, nexus eruatur, isque stabiliatur consolideturque, ut potius quomodo confunderetur, ac sinistro Consilio, nec meliori nisu laxaretur, atque totaliter solveretur. Unus proinde e Croatis nec gloriae, nec utilis cujuscunque cupidine, sed nec ullis sinistris finibus stimulatus: verum in continuationem priorum pro candido purae duntaxat veritatis amore juxta illud: »Amicus Plato, Amicus Aristoteles, sed magis adhuc amica veritas,« et pro data jam alias fide, studio autem communis unice pacis, ac necessariae ad consequendam et conservandam confoederationis et animorum ac virium unionem, nec non debita boni Civis obligatione, missis seu in Disquirentem repressalibus, seu in sibi semper honoratam Hungaram Nationem paribus laesionibus, debilium utpote armis, in summa, quam singulorum admittit meritum, brevitate manifestabit sensa.

Diplomata genuina, quantum ad principales res, aestimant etiam Croatae, eorum enim ope Ecclesiae et Patriae nostrae res antiquas in apricum deducimus, initiis, originibusque lucem affundimus, imo litibus et controversiis longo seculorum usu agitatis, fide Diplomatum finem felicissime imponimus. Math. Ant. Markovich J. U. D. in Regia Universitate Pestiensi Juris Eccl. Professor P. O. Budae 1786, edito opere sub Tit. »*Principia Jur. Eccl. Regni Hung.*« pag. 121. Sed cum, eodem etiam teste, in Diplomata, aliaque Veterum Scripta errores propemodum innumeros per tempus, impostores, Criticos, et librarios irrepsisse tristi docemur experientia, ut scopus obtineatur, opus est arte Critica, et Hermeneutica, ut vera a falsis discriminentur, ac ut bene intelligatur, et distinquatur, quid probent, et quid non; nam omne, utique genuinum (suppositorum, absolute loquendo,

Digitized by Google

nulla est authoritas, quia fides monumenti ab authoritate Testis dependet), Diploma probat aliquid, quod nempe principalem ejus Materiam constituit, et non saepe totum, quod continet, et non semper ita, prout jacet; sed incidentia a principalibus discerni, finis, et scopus sciri debet ad hoc, ut fons sit rerum gestarum. Nam secundum illud Polybii: Ab historia si quis auferat: quare, quomodo, quo fine, quidve fuerit actum, et quam convenientem exitum res gesta habuerit, quidquid in ea reliqui est, id commissio (sive res ludicra) magis est, quam opus ad erudiendum lectorem comparatum. Unde Diplomata projicere, indeque propter affinitatem quandam vocum per artificiosam truncationem, additionem, aut transpositionem seu quarumvis literarum, aut etiam integrarum syllabarum, aut aliarum aliis substitutionem nomina cudendo, ex quovis facto jam officia fabricando, incertaque pro veris sumendo, non est difficile etiam graves viros, ad quorum sphaeram res historicae ordinarie non pertinent, in maximos errores deducere.

Nosse quidem deberent omnes, sed non sciunt, Hungariam triplici sensu, teste Kelemen, Juris Patrii Hung. in Pestana Universitate Prof. P. O. T. I. §. 60 sub stellulla, usurpari: Latissimo sub se comprehendit omnes Provincias, ad quas S. Corona velut olim possessas jus aliquod fovet, uti sunt: Servia, Bosnia, Rama, Valachia etc. Non nihil pressiore de praesenti adnexas: Croatiam, Slavoniam, Transilvaniam. Strictissimo Regnum proprie Hungariae tanquam suis peculiaribus limitibus circumscriptum, et a Provinciis etiam adnexis segregatum.

Ritterus apud Kerchelich in Not. prael. p. 101 sustinet: Slavoniam continuo ab Heraclii aetate partem fuisse Croatiae.

Kitonich c. 1., Q. 8. in Nota C. »Nomine solius Croatiae vel Slavoniae ordinarie significantur in articulis tria Illyrici Regna: Dalmatia, Croatia et Slavonia.«

Carolus du Fresne Posonii 1746 p. 73. »Croatia vero ba-

Digitized by Google

ptisata cis Savum exstitit, porigebaturque versus oras maritimas a Zetina fluvio, qui ad Brazzum Insulam, quae Britanis Stephano nuncupatur, in mare illabitur, usque ad Istriae Montana .... Croati vero ... istam Dalmatiae partem occuparunt imperante Heracleo.«

Daniel Farlatus Illyrici s. T. I. in Prolegomenis Parte II. sustinet: Dalmatiam aliam esse Illyricam ad Mare, aliam Italicam supra Mare, ac tandem Germanicam Regionem, quae inter Albim et Vistulam a Danubio usque Mare Balticum longe latepue porrigitur.

Lucius L. II. C. 12: Croatiae nomine censebatur, quidquid Croati in Occidentali Dalmatia tam Maritima, quam mediaterranea possidebant, ut ex Porphirogenito (C. 30) jam dictum est. Croatos quoque fuisse, qui Saviam occuparunt, ex eodem et Cedreno constat. Totius ergo Croatiae nomine comprehendebatur Dalmatia Occidentalis tam Maritima, quam Mediterranea, et Savia, quae nunc Slavonia nuncupatur, ita ut Croatia distingvi possit in tres provincias, scilicet: Maritimam, Mediterraneam, et interamnensem sive Saviam. Idem L. VI. C. IV. Slavos, qui Dalmatiam occuparunt, Croatas et Serblos fuisse, ex dictis constat; hosque a Graecis, et Latinis Scriptoribus »*Sclavos*« vocatos, ab Hungaris autem Saviam, sive interamnensem Croatici Regni partem sibi conterminam »*Sclavoniam*« appellatam, quahodie quoque tale nomen apud latinos retinet; a Germanis vero, qui Pannoniam primam post Abares occuparunt, vernaculo vocabulo »*Die Windische March*« id est Vindorum provincia, quo nomine Slavos quoque Maris Balthici accolas, sibi conterminos, indigitant, dicitur. Croatas autem Maritimos a Dalmatis »*Sclavos*« appellatos, Monumenta Dalematica testantur, raroque, non interposita, »*c*« litera, latine-scriptum »*Slavorum*« nomen reperitur. Sic hae duae Croatici Regni limitaneae regiones, interamnensis scilicet, et Maritima »*Sclavoniae*« ab exteris vocatae sunt .... Itali cum

Digitized by Google

concursum literarum »*sl*« pronunciandi usum non habeant, prout neque Latini, easdem graeca et latina prolatione »*Sclavos* et *Sclabinos*« dixere; at cum deinde Itali, praesertim occidentales, quod olim lingua Romana per »*cl*« proferebatur, corrupta puritate linguae, inflexione Longobardica in »*chi*« ut plurimum mutaverint, Slavos, *Sch*iavos, *Scl*abinos, *Sch*iavonos dixere, ut apud Venetos Scriptores, praesertim Chronistas, videre est.. Et sicut ipsi Slavi, et Dalmatae eorum contermini ab eis edocti Slavice pronunciantes Crobatos »*Hrvatos*,« et Serblos »*Srblos*« genuina pronuntiatione indigitant: ita Graeci hanc asperitatem fugientes, *Chrobatos* et *Serblos* dixere. Et prout caeteris Septentrionalibus Nationibus vagis evenit, a Romanis ad vilia servitia conducti ex similitudine vocum Serblorum et Servorum, Serbli a Romano-Graecis »*Servi*« vocati sunt.. et ipsorum regio Mediterranea loco Serbliae »*Servia*« hodie quoque vocatur.

Et in Notis Luciiad Marci Maruli 68. sub *b*. »Sicut Croatae suum particulare Idioma *Croaticum* vocant: ita Servii suum *Servianum*. Sed quando generali cognomine utrique utuntur, *Slavorum* commune cum caeteris Slavis nomen proferunt.«

Constantinus Porph. C. 29: »Diocletianus Imp. valde Dalmatiam amavit, unde etiam populi Romani Colonias eo deduxit.. Istorum Romanorum termini extendebantur ad flumen usque Danubium.« Et C. 30. »Antiquitus Dalmatia incipiebat a confiniis Dyrrachii, sive ab Antibari, et ad Istriae montes pertingebat, in latitudine vero ad Danubium flumen se extendebat... Congregabantur quotannis equites mille.. ut Danubium contra Abares tuerentur. Ad illam enim Danubii partem Abares tunc agebant, ubi hodie Nomadum instar Turcae degunt... A Zentina autem fluvio Crobatia incipit, extenditurque versus Mare ad Istriae usque confinia sive Albunam urbem; versus Montana aliquatenus etiam supra Istriae thema excurrit versus Tzentina, et Chlebena Serbliae regio-

Digitized by Google

nem attingit« C. 31. »Crobati, qui Dalmatiae partes nunc incolunt, a Chrobatis albis baptismoque expertibus originem ducunt, qui ultra Turciam prope Franciam habitant, et Sclavis contermini sunt non baptisatis Serblis.«

Et *Thomas Archidiaconus* in Historia Salonitana C. 13. »A *Dircislao* (Dàržislav) caeteri successores ejus Reges Dalmatiae et Croatiae appellati sunt. Habebant ex successione suae originis Patrum et Proavorum Dominium Regni Dalmatiae, et Croatiae. Istaque fuerant Regni eorum confinia: ab oriente Delminia, ubi fuit civitas Dalmis; ab occidente Carinthia versus Mare; ab aquilone vero a ripa Danubii usque ad Mare Dalmaticum cum tota Maronia, et Culmiae Ducatu.«

Apud *Schwandtner* T. III. p. 785 »4. *Illyricum* stricte pro Dalmatia, Croatia, Sclavonia, et Bosnia, quae quatvor Regna etiam uno nomine *Sclavoniae* appellantur.« Et Raphael *Levakovich* apud Kerchelich H. C. E. Z. 8. 3: »Quae Savum interjacet Regio, interamnensis Pannonia olim . . . postmodum vero »*Sclavoniae*« nomen sortita Banatus, Ducatus, et Regni titulos accepit, secundum quod Bani, Duces, vel Reges eidem praefuissent.«

Quibus praemissis congesta per D. Disquirentem Diplomata certius intelligentur. Et quidem secundum rubricas in ordine:

I. Formula vetus Ecclesiarum dedicatarum, et dotatarum, ac status Regni in Croatia, et Dalmatia 1062—1071.

Hoc Diploma, sive data expeditionis et confirmationis, sive eotum adhuc distinctae leges spectentur, ad quaesitum nexum et correlationes inter assumpta Regna nec quidquam conferre potest.

II. Sub Regibus Hungariae Slavonia Ducatus nomine venit, et Decimae per totum non nisi Episcopatum Zagr. solutae 1193.

Estne Ducatus principalis Materia Diplomatis, aut incidens duntaxat? Et num annus 1193 pluribus Hungariae Regi-

Digitized by Google

bus convenit? Unde ergo ad rubricam irrepsit? *Sub Regibus* et *non nisi*, de quibus in Diplomate nec vestigium.

III. Croatae donationali conditione tum intra, tum extra Regnum militant 1193.

In ipso Diplomate occurrit solus Comes Bartholomaeus de Veglia, et non universi Croatae. Unde ergo, et qua fide rubrica procusa? Audentne Documenta latius extendi, quam ipsorum tenor postulat? Et quando Quaestio fuerat: An Croatae intra et extra Regnum militare debeant? An non potius, ad cujus stipendia intra, et ad cujus extra suum Regnum id faciendum haberent? Quod praesens Diploma non decidit. Sed cum perpetuo usu evictum sit, Croaticam Insurrectionem in Hungaria operantem ex Aerario Regio solvi; necessario Regnum hoc ab Hungaria distinctum servatur.

IV. Iidem Croatae conditione Donationis militant, subditi, ac hospites ipsorum Marduri-nis contribuunt.

Diploma ipsum nominat solum Radum, et Fratres ejus de Klokoče, et Marturinas relate ad subditos duntaxat horum regulat. Quid a singilativis Familiis ad universas in similibus est logica conclusio?

V. Iidem Croatae non ex pacto cum Colomano confecto, sed distincta stipulatione serviunt Anno 1550.

Diploma aeque hoc solum Familiam Radi concernit, adeoque in contingentibus ad alias extendi nequit. Sed nec de pactis Croatarum cum Colomano initis vel voculam habet, consequenter in sensu eorum nihil probat secundum genuinae Logices regulas.

Digitized by Google

VI. Decimarum e Marturinis Episcopo Quinque-Ecclesiensi in Comitatu Valko Lesnissa, ac Nessicha competentium evidens documentum A. 1239.

Diploma per se, pro se factum contra alium probatorium non est. In nigro praeterea non est Lesnissa verum Licenissa.

VII. Accolae Valkoenses potiori parte Teutonici, Saxones, et Hungari A. 1244.

Unde illud potiori parte irrepsit ad Rubricam, cum ipsum Diploma eatenus nihil habeat? Quid Rubrica audet plus habere, quam nigrum? Et quare exmissi *Slavi*, quorum tamen in Diplomate expressa est mentio? Sed et in Hungaria plures existunt Slavi et Germani, quam ipsi Hungari. Et quid inde, an ideo Hungaria ad Slavoniam, aut Germaniam pertinebit? Interim Valko, vel Vulko in Mappa Farlatiana, et in Conradi *Schwartz* est in laeva Dravi parte; ergo non in stricte quaestionata Slavonia. Adeoque quantum hoc totum probaret, si quid probando esset, viderit Disquirens.

VIII. Comitatus Varasd, et Castrum Zagoria in Slavonia A. 1258.

Diploma probat reambulationem et complanationem proprie, et incidentaliter solum Varasd, et Castrum Zagoria in Slavonia esse, quod per neminem negatur, sed ad assumptum Thema nihil confert.

IX. In constitutione totius Regni Slavoniae cardinali, nec Comitatus Szerém, Veröcze, Posega, Valpo, nec Capituli Posegani, qua appertinentiarum ulla mentio 1270.

Diploma habet solum: In congregatione Regni totius Slavoniae generali certi Nobiles et Jobagyones Castrorum quaepiam jura Regni et non totius Slavoniae constitutionem cardinalem Bano praesentaverint. Et eorum Comitatuum uti-

Digitized by Google

que fit mentio, qui talia jura praesentarunt. Et sicut nihil praejudicat superiori Slavoniae, quod Varasdinensem Comitatum non attingat; ita nec inferiori, quod hujus Comitatuum mentio nullibi fiat. Interim habetur etiam: Volumus sub silentii, et non sententia (prout Disquirens habet) poena, quod Nobiles in Zagoria, et Comitatibus similibus etc. Ecce in plurali loquitur, adeoque nullus Comitatus, qui e lege pertinet, exmittitur.

X. Slavonia tota trans Dravum, in illa jurisdictio ad solum Banum restricta 1325.

Unde hoc: Slavonia tota trans Dravum? Hoc ex praesente Diplomate effabricari nequit. Sed hoc principale est Diplomatis: quod universi in tota Terra Banatus non coram Palatino, aut Judice Curiae, aut quovis alio Judice, sed coram solo Bano pro tempore constituto, vel ejus Judicibus conveniri debeant. Additur trans Dravum, ne cum Bani in Hungaria possessionati esse possint, etiam ibi ejus homines a Judicio Palatini vel Judicis Curiae eximi putentur. Danubii non fit mentio, ne si totum etiam trans Danubium dictum fuisset, ad eos etiam trahi possit, qui intra Danubium, et Dravum sunt. In interpretationibus Scriptorum usus spectandus est. Jam *Strabo* in Lucio apud Schwandtner T. III. p. 58. dicit: »Colapis amnis, qui ex Albio monte per Japides delabitur, inque Danubium exit,« Lucius addit: scilicet per Savum. Apud Ivan. Ludovicum Schönleben p. 173 Simocatta l. 7. C. 11. ait: Singidonem fuisse Sao et Dravo cinctam. Ex quibus colligitur, quod circa confluentes Savi et Dravi situm fuerit Singidunum.

Et apud Schwandtner T. III. Lucius p. 59 et 60 Singidonem autem intra Sauum, et Drauum prope Sirmium Procopius loco supra citato ponit, et Theophylactus Simocatta L. VII. C. 11. Priscus Gudoin accersitum sumptis copiis Singiduni succurrere jubet. Gudois Singidonem duobus flumini-

Digitized by Google

bus Sao et Drao cinctam navigat. Ita quoque Dravus cum Savo conjungitur, prout plures Scriptores habent, utique per Danubium, uti perbene advertit Škerlec dicendo: »Ubi influens Danubiumin Dravus nomen amittit quidem nominetenus, sed Danubio perbelle includitur. Stephanus Brodericus Pro-Cancellarius p. 18. Arcem Temessiensem, et eas Regni partes, quas inferiores vocamus, Petrus Peréni tuebatur. Sirmio et ei regni parti, quae inter Savum et Dravum per ripam Danubii jacet, Paulus Thomory Archiepiscopus Colocensis praeerat.

Porro: Ultra Dravum Valpo est ... supra eum autem locum, ubi Dravus Danubio miscetur, in ulteriori ripa est oppidum Essek ... post Valko Zatka, a Zatka per eandem ripam est Vilak oppidum arce nobilissima, atque ibi primum apperitur beata illa et fertilissima Regio Sirmiensis etc. p. 53. Fejér nexus ac Relationes.

Apud Dan. Farlati T. I. p. 116. »Procopius, Author saeculi 6, fines Dalmatiae adeo nulla ex parte diminuit, ut illos amplificet, ultraque Savum prolatos ad Dravum usque videtur extendere, quippe inter urbes Dalmatiae Sirmium et Singidonem enumerat: Sirmium ait autem in Savia, seu interamnia, quae Dravo, et Savo interjacet, positum esse, nemo ignorat.« — Jam ubi Sirmium ex parte Hungariae, trans Dravumne, vel Danubium? Et ubi in Tua idea Dravus hic?

Unde quam inapposite sub Nota deductum Corolarium, quod Palatinus et Judex Curiae hinc probaretur immediatam Ordinariam Jurisdictionem habere in inferiori Slavonia, etiam contra claros sui hic citati Diplomatis tenores?

XI. Slavoniae partes, Croatia et Dalmatia Anno 1345.

Ipsum Diploma prorsus non probat Croatiam, et Dalmatiam partes esse Slavoniae; verum quod Andreas *Dandulo* Croatas contra Hungaros adhortetur, et concitet, qui ad par-

Digitized by Google

tes Slavoniae venissent. Bone Diplomatista! dolendum pro labore. —

XII. Vetusta Croatiae Castra praecipua Anno 1345.

Diploma istud non probat vetustae Croatiae Castra; verum quod dum Ludovicus Bihachium venisset, omnes Croatae, praeter duos ad Eundem comparuerint, debitam reverentiam impendentes, et Claves castrorum, vallationum et possessionum offerentes praeter Ostrovicam, Clissam et Scardonam. Etiam hic dolendum pro labore; cum nihil ad desideratum nexum conferat.

XIII. Croatiae vetustae Comitatus Anno 1401—4.

Hoc non est probatorium relate ad omnes Croatiae vetustae Comitatus, sed quod Sigismundus filiis Nicolai de Gara Regnorum Dalmatiae, et Croatiae, ac totius Slavoniae Bani possessiones in Comitatu Tiniensi in Regno Croatiae per novam Donationem cum relaxatione Mardurinarum, et in Comitatu Clissiensi originarie contulerit. Ergo nec rubricam, multo minus nexum et correlationes assumptas probando est.

Assuta Nota pro A. 1546, utpote post tempora Mathiae Corvini, qui ad titulos: Hungariae, Croatiae, Dalmatiae, etiam Slavoniae assumpsit, potest dici Slavonia distincta a Croatia nominetenus, sed non reipsa, et a sua origine, uti superius ostensum.

XIV. Lika cum Castro Ostrovica Comitatus Croatiae. Anno 1437.

Ipsum Diploma principaliter haud probat, Comitatum Lika aut Livka Croatiae esse, verum quod nobilibus Regni Croatiae de Sibenico possessionem Mejaci in Comitatu Livka sitam contulerit Rex et Imperator Sigismundus.

Digitized by Google

Nota ex toto otiosa, utpote nec cum Diplomate, nec cum Regno Hungariae nexum habens.

XV. Comitatus Zagrabiensis ad fluvium Colapim limites A. 1466.

Diploma non definit limites Comitatus Zagrabiensis, sed possessionum Škerlecianarum in Comitatu Zagrabiensi. Et si ex hoc Documento limites Comitatus Zagrabiensis deberent probari, sic non essent illi solum usque Colapim, verum propter Castellum Vinodol plane usque Mare Adriaticum.

XVI. Comitatus Zagrabiensis limites: fluvius Vuna, et Castrum Kostanica 1440.

Nec hoc probat limites Comitatus Zagrabiensis, sed Castelli Kostanica in Comitatu hoc existentis.

XVII. Oppidum Ujlak Nikolai de Eadem Dioeceseos Quinque-Ecclesiensis in partibus Hungariae situm Anno 1451.

Ipsum Diploma habet Vilak, et non Ujlak. Interim eatenus sufficit audire Episcopum quondam Sirmiensem in opusculo: Vindiciae Sirmienses p. 209: »Quaeri, ait ille, hic iterum posset, unde ergo factum est, quod in certis literis seu Rescriptis summi Pontificis Nicolai ad preces Nicolai Ducis de Ujlak datis, Ujlakium in Dioecesi Quinque-Ecclesiensi esse scribatur? pro quo sciendum: Ex certa antiqua Traditione haberi (uti mihi Multum Venerandus condam Pater Joannes a Sirmio Provinciae Bosnensis emeritus Provincialis retulit. praementionatum Ducem continuas habuisse cum Episcopo Sirmiensi inimicitias, (quas etiam filius Laurentius Dux continuavit,) quae tractu temporis in tantum exarserant, ut Episcopus Sirmiensis coactus fuerit Ujlakum (ubi alias post accisum Sirmium, Cathedralem suam Ecclesiam, et Residen-

Digitized by Google

tiam Episcopalem habebat) deserere, et ad *Bon Monostor*, locum non solum spiritualis sed et temporalis Jurisdictionis suae, sedem et Residentiam suam Episcopalem transferre.« Hinc praementionatus Dux uti et filius ejusdem Laurentius (quantum in ipso erat), conabatur semet omnimode ab ipsius Jurisdictione subtrahere, et potius Episcopo Quinque-Ecclesiensi subjicere, ideoque etiam Curiam Romanam ita informavit, et instruxit, quasi Ujlakum non Episcopi Sirmiensis, verum Quinque-Ecclesiensis Jurisdictioni subesset, taliterque Rescripta sua Apostolica ad hanc dirigere deberet. Fuit igitur error facti, Curia siquidem Romana (velut particularium locorum Dioecesium notitiam ordinarie non habens) in similibus prout informatur, ita rescribit, uti notum est. Et hinc fors evenit, quod praeallegata Rescripta Apostolica neque unquam transmissa fuerint, verum tanquam sub- et obreptitie impetrata ibi, unde desumpta sunt, suffocata. Quamvis potuerit etiam esse (prout non nunquam fit) error Cancellariae nomen unius Dioecesis loco alterius inserentis; qualis tamen error secundum Canonistas nec concessionem vitiat, neque Dioecesi quidquam praejudicat.

Et Idem p. 205. Emericum Losyum A. E. Strigon. certo, et indubitanter agnoscere, et affirmare jurisdictionem Episcopi Sirmiensis inter Savum et Dravum; Episcopi autem Quinque-Ecclesiensis non nisi opinative et dubitative.

P. 206. Ex *Szent Iványi*: »Praepositura S. Irenaei in Dioecesi Sirmiensi, Comitatu Bodrogiensi,« ergo concludit: Episcopatum Sirmiensem ex Comitatibus: Sirmiensi, Valponensi et Bodrogensi constitisse.

Quaeri posset, qualiternam acciderit, quod Episcopus Quinque-Ecclesiensis non tantum locum »*Nemci*,« verum totum etiam Districtum Vukovar habeat? R. Id exinde evenisse, quod post recuperatas hasce partes a Turcis prius fuerit restitutus Episcopatus Quinque-Ecclesiensis quam Sirmiensis. Cum ergo Ecclesia Quinque-Ecclesiensis suum Episcopatum

Digitized by Google

jam habuerit, Sirmiensis vero eodem caruerit, prior occupavit pro se etiam Vukovar, cum nemo pro tunc adfuisset, qui eatenus reclamasset.

XVIII. Zagrabiensis Sclavoniae Comitatus exprimitur, ac proventus Marturinales praestat 1457.

Hic Comitatus in Diplomate non ideo exprimitur, ut remonstretur Slavoniae esse, verum quia ex hoc Comitatu nobiles conquesti sunt contra Dicatores, et Exactores proventuum Mardurinalium, quorum abusus tollitur, et modus in his exigendis praescribitur. Sed nec Annus Diplomatis 1357 cum Rubricae efabricato 1457 cohaeret.

XIX. Duorum eodem tempore regni Slavoniae Banorum Documentum A. 1459.

Hoc documentum aliud proprie probat, quam in Rubrica exponitur. Et hoc unicum est, quod probat nexum inter Hungaros et Croatas, sed prout in nigro est, proh dolor! Interim tenore Art. 3. A. 1569 labe perfidiae nullum Regnum, nulla vacat Natio.

XX. Slavonii inter factiosos A. 1459.

Quaestionati Diplomatis rubrica completa non est, oportuisset etiam exprimere: in quorum nexu et societate, quive isti factiosi?

XXI. Eminens Osvaldi Zagrabiensis Episcopi in Regem, ac Regnum Hungariae fides A. 1474.

Praesente Documento plures commemorantur, quam solus Osvaldus, adeoque rubrica etiam hic non est completa.

XXII. Sclavoniis ad sui contra Turcos defensam Congregatio Generalis, ac Capitaneus penes Banum eligendus conceditur A. 1477.

Qualis hic Nexus inter Croatas et Hungaros conspicitur? An non distinctus potius insurgendi modus?

Digitized by Google

XXIII. Castra et Castella in Croatia et Slavonia distincta 1481.

Quae intra hic memorata Castra sunt Slavoniae stricte sumptae? An non omnia Croatiae pure Maritimae? Et ad quae Hungaria aliquid conferre innuitur, ut quaesitus nexus videretur?

XXIV. Mich. Ország Palatini, et Comitis Stephani Báthory Judicium Palatinale contra Malefactores in Comitatibus Crisiensi, et Veröce item Zagrabiensi et Varasdinensi celebratum 1481.

Hoc Diploma probat, qui nam fuerint Commissarii Regii, et per hos assumpti Comitatuum Assessores in judicandis memorato anno Malefactoribus. Interim sensu Disquirentis hoc Diploma plus probaret, quam idem praetendit, esset enim sensu stricto pars integrans Hungariae etiam Croatia, utpote Comitatus Crisiensis, Varasdinensis, et Zagrabiensis, et minus, quam vellet, Comitatus nempe Sirmiensis, et Požeganus, essent Croatici, cum ibidem non memorentur. Sed et scire oporteret, similia Judicia in genere per leges Mathiae Decreto 6. Articulo 1. Uladislai Dec. 1. Art. 35. nec non P. 2. Titulo 2. sublata etiam fuisse. Et Art. 2. A. 1608 §. 7. clare praescribitur: In Slavonia idem faciat D. Banus. Adeoque quivis ad limites sui Territorii restrictus: sequaciter totum istud Diploma ad rem nihil. — Et si quae Palatini erga Commissiones speciales fecerunt, egerunt qua Delegati aut Locumtenentes Regii, prout etiam habetur in Quadripartito P. III. titulo 84. Et propriam Diploma sub X. citatum. Nec non Art. 25. A. 1563 praescripta Locumtenentis Judicia.

Proto-Notarius *Zakmardi* deploravit fata Croatiae, sed nec poterat etiam non deflevisse paria Hungariae, dum is, qua Personalis Praesentiae Regiae in Judiciis Locumtenens Proto-No-

Digitized by Google

tariatum Croatiae usque annum 1668, quando et mortuus est, retinere debuit.

XXV. Sclavoniae Regnum in litteris, quibus armorum insignia obtinuit, inter flumina Dravum et Savum continetur Anno 1496.

Hoc Diploma probat proprie: Sigillum Universitati Regni Slavoniae renovatum fuisse. Dicitur Slavonia inter duo flumina Dravum, et Savum constitui; ast una etiam contra, et adversus Turcos, Christianitatis perpetuos hostes, et inimicos sibi proxima loca tenens continua bella exercere, ac ita se armis tutare et conservare, ut vix eam Regionem Turcus unquam ingrediatur, quin accepta gravissima clade ex eodem Regno nostro recedat. Quapropter non immerito: *praecipuum scutum, et potius antemurale hujus Regni nostri Hungariae* appellaverimus. Jam si superior solum Slavonia stricte nempe intra Dravum, et Savum intellecta fuisset, quomodo eo tempore antemurale Hungariae contra Turcas appellari potuisset? Ulteriora eatenus dicta sunt ad Nrum. X. Et ipse Disquirens in sequenti Dissertatione, p. 57. post circulos Cis-Danubianum, et Trans-Danubianum expresse dicit: »*Trans Dravanos Comitatus: Valkoensem, Poseganum, Sirmiensem et Veröcensem,*« ubi adminus Sirmiensis Dravum nuspiam attingit. Ergo iterato ex his videri, per Dravum Danubium designari. Minor tractus utique majori includitur.

XXVI. Diplomate, quo Capitulum Bosnense a procedendi in Slavonia facultate inhibetur, haec una ab alia distinguitur 1498.

Non distinguitur hic Slavonia una ab alia, sicut in rubrica fingitur, et in Diplomate in locum *illud*, *aliud* substituendo imponi quaeritur. Sed una eademque Slavonia re integra esse conspicitur. Quaestionatum enim Diploma ad Universitatem totius Slavoniae expeditum, ac teste etiam in-

Digitized by Google

tegerrimae fidei Scriptore Josepho Nicolao *Kovachich* Senquicensi Monumentorum Segmento secundo Zagrabiae 1815 editorum in Originali authentico pergamentaceo Archivi Regnorum Croatiae etc. reperibile habet: non *aliud*, sed ad *illud* Regnum Nostrum Slavoniae. Ita quoque dici debuit, quia in illo Regno Nostro Slavoniae, ubi nempe Capitulum Bosnense etiam fuit, et non in hoc dici poterat, quod Diploma hoc expeditum fuerit Budae, adeoque in stricte dicta Hungaria, prout datum docet. Tria autem eotum in Slavonia fuerant: Zagrabiense, Chasmense, et Poseganum, prout Mathias Rex in suo Anno 1462 Feria 4 post festum B. Laurentii Segedino expedito Mandato habet.

In subnexa autem nota deviationes sunt multae, nescio num indignatione, an risu plus dignae, quam aliqua fide? Nam praeterquam quod fingitur ex originali desumptum; cum illud non sit in Bibliotheca Universitatis Pestanae, sed in Archivo Regni Croatiae, quod D. Disquirens nunquam vidit, est illud ridiculum, quod hic haberet literas Capituli Varasdinensis clausas Comiti *Reun* de *Bere* datas super Obligatione terram suam Bere non alteri, quam filiis Simonis dicti *Vrdug* vendendi: Cod. Dip. Tomi VI. Vol. II. p. 177—178. Primo enim Capitulum Varasdinense nullum unquam exstitit, sed nec actu existit, sed Chasmense est solum Varasdinum translatum ex Lepoglava, quo itidem translatum fuit Zagrabia, ubi post eversam Chasmam per Turcas usque Nostrum seculum perstiterat. Et ideo scribitur etiam in Schematismo Zagrabiensi: Varasdini residens. Nam si ab omni Loco, ubi illud residebat, semper Nomen mutasset, eotum unum idemque esset: Et Chasmense, et Zagrabiense, et Lepoglavense, et Varasdinense. Dein citatus Tomus VI. Vol. II. de Reun de Bere etc. prorsus nihil habet; Verum Vol. I. in iisdem paginis habet: A. Ch. 1291 Capitulum Varasdinense adeoque et Loco, et Nomine diversum, consequenter Varasdinensi bona fide haud applicabile. 2. etiam corollarium non subsistit,

Digitized by Google

cum ex minus genuine citatis praemissis non nisi falsa consequentia prodeat; ut ex supra attacta explicatione *illius*, et remonstrato errore ad *aliud* nemini non clarum esse potest.

XXVII. Capitulum Bosnense post interdictum etiam Vladislai II. in Comitatu Syrmiensi procedit A. 1511.

Unde Annus rubricae 1511 constat? Et quomodo per Diploma justificatur? Et cur tenore Art. 26. An. 1807 novitus impetrari debuit?

XXVIII. Districtus Valko, Eszegh, et Marchia ad Dioecesim Quinque-Ecclesiensem non Zagrabiensem spectabant A. 1404.

Desideria rubricae Diploma, prout jacet, prorsus non probat, verum indicat: Literas quaspiam privilegiales Ecclesiae Petri Varadinensis per Capitulum Quinque-Ecclesiense Anno 1404 duntaxat transsumptas esse. De Zagrabiensi Dioecesi nec vocula. Subjuncta Nota Disquirentis enervat potius asserta, quam confirmat.

XXIX. Comitatus Valko non dicitur in Slavonia, Nobiles de Valko non sub Bano, sed Palatino insurgunt A. 1514.

Comitatus Valko nec dicitur in Hungaria, sed nec sub quo insurgat; verum A. 1514. Comiti, et Vice-Comiti, Judicibus, ac toti Nobilium Universitati Rex Uladislaus demandasse videtur, ut ad opprimendam rebellionem rusticorum sub Nomine Cruciatae Militiae in Hungaria insurgentium per singula capita una cum omnibus familiaribus eo moveant, quo Palatinus Emericus *Perén*, cui superinde Comissio data est, requisierit. Interim quae fata fuerint horum Regnorum eotum, docet *Kerchelich* in Not. prael. de R. D. C. et Slavoniae p.

Digitized by Google

307., 308. et 328. Ita et Josephus Nicol. *Kovachich* Senquicensis in Not. prael. ad Syllogen Decretorum Comitialium p. 120. Sed et intuitu Perén idem Kerchelich in Historia E. Zagr. p. 213. Legimus praeterea in binis Instrumentis Emerici Perén hunc titulum: Emericus Perén Regni Hungariae Palatinus, Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Banus, ac Capitaneus Supremus de Anno 1512 et 1514, quando recte quaestionatum Diploma prodiisset. — Et ipse D. Disquirens oblitus hujus sui Diplomatis in Nexu et relatione § 37 recognoscit, Emericum Perén A. 1512—14 Banum Regnorum Croatiae, Dalmatiae et Slavoniae fuisse, cum Petro Berislavo Episcopo Vesprimiensi. Item Chronicon Zagrabiense A. 1764 editum plura habet circa Eundem Emericum Perén, qua Palatinum, Banum, ac simul Capitaneum etiam Segniensem. Dein noverit D. Disquirens, quod Vladislaus II. Universitati Nobilium Regni Slavoniae intimaverit: Emericum de Perén Palatinum in sua in Silesia absentia pro Locumtenente suo esse constitutum, et injunxerit, ut in rebus publicum statum concernentibus eidem obsequantur 1510. Vide eundem Josephum Nicol. Kovachich Senquicensem in citatis Notitiis p. 129. Sed et si quid miseris illis temporibus fuisset etiam destructum, Art. 27. A. 1600 est reparatum ita: »*Regnum Slavoniae Sua Majestas Caesarea in suis libertatibus, et authoritatem Banalem in expeditionibus, et Insurrectionibus conservare dignetur.*« Confirmatur id Articulo 33. An. 1649, et 47. 1741. Anno 1601 art. 12 legitur: »*Sclavonia insurgat in sui defensionem more ejus Regni consveto.*« Confirmatur 85. An. 1659. art. 66. Anno 1681. demum art. 59. An. 1741. et art. 2. A. 1805. »*Sua Majestas Sacratissima erga humillimas ex parte Regnorum Dalmatiae, Croatiae, et Slavoniae propositas preces clementer annuit, ut* provisio art. 59. An. 1741. relate ad Insurrectionem eorundem Regnorum in suo vigore permaneat, et Insurrectio taliter coordinata a Supremis Suae Serenitatis Regiae D. Regni Palatini ordinibus *in modernis extraordina-*

Digitized by Google

riis rerum adjunctis dependeat.« Exceptio autem in casibus non exceptis firmat regulam, nec non art. 5. A. 1808. ubi ita habetur: »Accedente Suae Majestatis SSmae b. annutu respectu Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae provisio art. 59. Anno 1741 in suo vigore ea ratione relinquitur, ut Insurrectio praefatorum Regnorum relate quoque ad constituendam Exercitationis Modalitatem in generali eorundem Congregatione coordinetur, taliterque coordinata, legis casu intra triennium eveniente, hosti opponatur; semper tamen in conformitate art. 66. An. 1681. ab immediatis Domini Comitis Bani ordinibus dependeat.« Prout hodiedum hoc fit.

XXX. Comitatus Crisiensis Sclavoniae Regno expresse accensetur A. 1517.

Nigrum probat solum, Donationem factam esse Gregorio *Orlovchyth*, et Petro *Crusith* super Castello *Berzevce* cum oppidis, et possessionibus ibidem specificatis principaliter, et incidentaliter duntaxat, quod idem Castellum situetur in Comitatu Crisiensi, et in Regno Slavoniae.

XXXI. Comitatus Zagrabiensis, Crisiensis ac Varasdinensis in Slavonia A. 1526.

Si praeattactos Comitatus probat esse in Slavonia, sic debet probare etiam Požeganum, in quo donatum *Fejerkov* est, quod est principale Diplomatis.

XXXII. Slavonia sub Domo Austriaca inter partes Regno Hungariae subjectas censetur. Anno 1537.

Nigrum proprie probat, Don Petro Laso de Castilia, haeredibusque suis et posteritatibus universis collata fuisse: Castra Szomszédvara, et Stubica cum suis pertinentiis in Comitatu Zagrabiensi Regni Slavoniae existentia, et non quod Disquirens torquet: Hungariae subjecta, verum sibi subjecta:

Digitized by Google

nempe Ferdinando qua Supremae Majestati Regiae, sicut et Hungaria genuino sensu esse debet. Interim de praetensa subjectione meretur legi *Ratkay* p. 57. et 58. quam improprie Regna haec partes compellentur. Et reipsa, si Regna haec sensu aliquo partes Regni Hungariae dici possent, intelligi deberent *unione non incorporativa* conjunctae, aut adnexae. Cum articulo 1. A. 1492 recognoscantur ita Regnum sicut et Hungaria. Imo plane Slavonia pro sui contra Turcam defensione A. 1538 Regni proprie Diaetam servaverit, et corpori Juris Hungarici articulos suos inseri fecerit.

XXXIII. Comitatus Zagrabiensis in regno Slavoniae censetur A. 1537.

Nigrum essentialiter probat duntaxat Donationem mixtam Joanni *Kaczianer* ratione arcium Zomzédvara, et Stubica expeditam. Et accidentaliter solum attingit, eas arces situari in Comitatu Zagrabiensi Regnorum Slavoniae.

XXXIV. Comitatus etiam Varasdinensis Slavoniae accensetur A. 1547.

Ipsum Diploma probat solum Bona Zethezha, Busin, et Berethyncz propter infidelitatem Joannis *Forchych* fiscalia Ambrosio *Gregoryanch* collata fuisse, et incidentaliter tantum attingit, eadem in Comitatu Varasdinensi esse, ne, si talis nominis in alio Comittatu essent, ea putentur.

XXXV. Ex adverso Comitatus Posega et Veröce in Regno Slavoniae non censetur A. 1535.

Triplices Donationales de Castris in Comitatu Požega, et Veröce pro Georgio *Thah* expeditae probantur, quin seu affirmetur seu negetur, hos Comitatus in Slavonia esse. Dolendum pro labore et expensis.

Digitized by Google

XXXVI. Ferdinandus Rex Hungariae libertates Civium de Kapronczа restaurat A. 1556.

Diploma probat solum, quid Praefecto Kapronczensi, et Castellano hujus, quid item Civibus ejusdem Civitatis competat, et aliud nihil, quod ad nexum, et desideratas Corellationes trahi posset.

XXXVII. Milites, Nobiles ratione fundorum suorum Civilium contribuere ac Jurisdictionem Civicam subire obligati A. 1595.

Nigrum probat duntaxat, quod Milites et Nobiles in gremio Civitatis Kapronczencis possessionati, localem Jurisdictionem ratione suorum fundorum, sicut ubique, recognoscere, et quaevis onera ferre debeant, et nihil aliud Erûdite, ac Perdocte!

XXXVIII. Decimas de Veröcze Dominium Loci percipit, non Episcopus Zagrabiensis A. 1437.

In nigro nec vocula de Episcopo Zagrabiensi; unde ergo ad Rubricam venerit, concipi nequit: cum utrumque etiam subsistere posset, ut Dominium nempe terragiales, et Episcopus Clericales Decimas trahat.

XXXIX. Decimas in Veröce Episcopus Zagrabiensis neutiquam percipit A. 1449.

Quod illud Veröce, Comitatusne Neogradiensis, aut Verecze Comitatus Ugocsensis fuerit, de cujus Decimae dependendi obligatione Jobagiones Eremitarum Bacequa exemisset, quipiam Joannes Vojvodae de Marczal filius erui non potest; cum de Slavonia Veröcze, Lypovo ac totius Comitatus de Vereucze Decimae testimonio Diplomatis Ladislai de A. 1284 apud Nicolaum Schmitth p. 193 Eppi. Agr. Episcopo Zagrabiensi ab olim competierint. Sed si etiam idem hoc Diploma ad Slavonicum Veröcze traheretur, cum ne vestigium

Digitized by Google

Episcopi Zagrabiensis in Diplomate ipso conspiciatur, et ad rubricam aliquid intrare nequeat, quod in nigro non esset, non implicaret, ut Jobagiones Eremitarum a depensione Decimae terragialis absoluti fuissent, quin haec absolutio, ac Dispensatio ad Clericales Episcopales Decimas extendi posset.

XL. Comitatus de Posega ad Diaetam Budae celebratam duos ex suis mittere jubetur A. 1477.

Hoc tam parum Regnis his praejudicat, quam et similes Regales Comitatui Crisiensi expeditae ddo. 8. Septembris 1468 pro Diaeta Posoniensi, et ddo. 8. Decembris 1473 pro Budensi exstantes in Archivo Regni. Sed haec omnia acciderunt ante conditum articulum 1. postcoronatilem A. 1608 et respective ante 61. 1625, qui hac in parte sunt regulativi. In similibus distingui debent tempora, et intelligetur Scriptura.

XLI. Comitatus Veröcze non dicitur in Regno nostro Sclavoniae A. 1480.

Sed neque in Regno Hungariae, aut Cumaniae dicitur. Verum proprie Mandatum Regium ad Comitatum Veröcensem de servandis sedibus Judiciariis suis Terminis sub poena 3 Marcarum auri. Et adminus hic Comitatus est per extensum ad Dravum.

XLII. Castrum Veröcze cum Comitatu in Regno Sclavoniae censetur A. 1488.

Ergo Veröcensis Comitatus non est in Regno Slavoniae, quia in priori Diplomate non dicitur, et est, quia in praesenti censetur? Non hoc Diploma probat hunc Comitatum esse, aut non esse in Regno Slavoniae. Verum est repositionale in possessorium Castri Veröcze, et aliorum in Comitatu Veröcensi in Regno Slavoniae habitorum jurium Nicolai filii Bani de Alsó-Lindva, cum fratre ejusdem mediante legitima Donatione obtentorum, et legali statutione firmatorum, subn vero indebite Duci Oppaviensi collatorum.

Digitized by Google

In Nota Extractus quid probent, erui nequit, quod hi genuini rari sint.

XLIII. Comitatus Crisiensis in Regno Slavoniae expresse signatus A. 1489.

Diploma ipsum principaliter probat, conferentem Regem Castelli Majkoncz pro Joanne de Tragurio Statuario, seu Marmorum Sculptore omnes causas in se assumere. Incidenter autem saltem attingit, hoc castellum esse in Regno Slavoniae, et quidem Comitatu Crisiensi. Necessario secundum illud: quid et ubi?

XLIV. Inter dupplicatos Dalmatiae, Croatiae ac Slavoniae Banos, Slavoniae totius nomine, Bani Slavoniae eminent temporibus Ludovici, ac Sigismundi A. 1349 et 1437.

Cuncta parum ad rem faciunt, quum per id nec Croatiae, nec Hungariae Regnum seu auctum seu imminutum esset, sive plures, sive pauciores fuissent Bani, et seu hac ratione, sive alia compellarentur. Citatus Samuel Timon rectum habet, quod Hungariae Reges Belam IV. sequentes ducem: Dalmatiam, Croatiam et Slavoniam peculiari uno nomine vocaverint »*Slavoniam*,« Praefectosque omnium trium earum Regionum Banos totius Slavoniae nuncuparint, in limine ostensum. Utinam Eundem hic secutus fuisset et D. Disquirens, non tanta innania ad nauseam conglomerasset.

Misso XLV. sequitur statim

XLVI. Praepositura S. Petri de Posega Dioecesis Quinque-Ecclesiensis non Zagrabiensis 1449 et 1454.

Proprie probat, quod Thomas Nicolai de N. Plebanus, et S. Martini de N. profectus in artibus in Subdiaconum ordinatus fuerit. Dein idem ordinans Episcopus Bodonensis

Digitized by Google

Suffraganeus Quinque-Eccl. a Magistro Paulo S. Petri in Posega Praeposito 42 f. auri mutuo levaverit. Reliqua sunt accidentalia, quae etiam aliter esse possent. Cum quae ista Posega fuerit; an ea, quam fide Madaraszianae Dissertationis de primis R. H. limitibus pag. 28. Dravus, vel ea, quam Orljava alluit, id ex hoc Diplomate non eruetur. Consequenter nihil ad rem. Interim si omne scriptum statim jus originarium probaret, tunc Posega fuisset etiam Dioecesis Bosnensis, Scardonensis, Belgradensis, Colocensis, Strigoniensis, Quinque-Ecclesien. et Zagrabiensis e Kerchelich H. E. Z. P. I. p. 37 4 0. Interim in Actis Synodi Pazmanianae videre est in Nota ad XXVIII. de Posega S. Petri A. Dioecesis Zagrabiensis.

XLVII. Comitatus de Posega ad Diaetam Budae celebrandam duos ex suis Nuncios mittere jubetur. A. 1477.

Istud hic tantum probat, quantum sub XL., cum per extensum sit idem, nisi quod illud habeat Annum Romanis Numeris, istud Arabicis scriptum, tanto curiosius, quod utrumque dicatur ex Archivo Excelsae Camerae esse, qualiter autem sit Originale, viderit ibidem D. Disquirens; cum nihil ad rem probet.

Ex XLVII. ad XLVIII. Jus instituendi, ac destituendi Proto-Notarii Banalis Slavoniis restituitur. A. 1438.

Diploma concordat cum Rubrica.

Verum subnexa Nota fallit; cum Mathias Corvinus An. 1465 concesserit potius Universitati Nobilium Regni Slavoniae Proto-Notarium communibus votis eligendi, et electum Bano praesentandi, eidem Banale Sigillum consignandi, prout inter Privilegia Regni habetur; quam revocaverit.

Digitized by Google

Ex LXVIII. iterum ad XLIX. Privilegium Salis pro Slavoniis A. 1481.

Privilegium Salis etiam per leges confirmatur 29. 1548. 42. 1635. et 122. 1715. uberiora in Quadripartito p. 411.

L. Decimae Episcopo Zagrabiensi a Dioecesanis Comitatuum Slavoniae competunt A. 1474.

Comitatus, cujus Slavoniae, non specificat. Interim quamprimum inactatum fuisset Processui, qui decurrebat inter Episcopum Zagrabiensem, et Quinque-Ecclesiensem ratione Decimarum, fide Notae D. Disquirentis et fundamentum sententiae dedit, debebat extendi etiam ad inferioris Slavoniae Comitatus, de quorum Decimis in eodem Processu quaestio fuit. Et alioquin aliquid debet exmissum esse, quamprimum pagina 90. *et Nobilibus Comitatuum praedictorum* habetur, qui tamen nuspiam specificari videntur.

LI. Praeter antiquum Slavoniae Banum, novus Sclavoniae Banus Nicol. de Ujlak. A. 1464.

Et Emericum Zapolya D. C. et S. et Nicolaum de Vilak fuisse Slavoniae Banum aliis etiam pluribus Instrumentis apud Kerchelich confirmatur. Nihil novi.

LII. Castrum et Comitatus Vereucze in Hungaria, non in Regno Slavoniae 1474.

Tenores Nigri nuspiam recognoscunt Castrum, et Comitatum Vereucze in Hungaria esse; verum potius in Slavonia esse ex illis verbis colligeretur: *Ex ipso Castro Regno Slavoniae evenire, et accidere poterant;* nec non etiam e parallelo loco ad XLII. ubi et in Rubrica, et in Nigro dicitur: *in Regno Slavoniae,* secus esset in Slavonia et Hungaria indubie per Replicationem.

Digitized by Google

LIII. Comitatus Sirmiensis non in Slavonia, sed in Hungaria A. 1477.

Nigrum de eo nihil habet, nisi id inde argueretur, quod hic dicantur Hungaro *Bathory* Bona in Sirmiensi Comitatu collata esse. Sed hoc multum probaret, consequenter nihil; cum etiam Croatis pluribus talia in Hungaria collata fuisse constet, quin adhuc aliquis Croatarum praetendisse sciatur, quod Comitatus ille, ubi ea situarentur, ad Croatiam pertineat. Szörenyi p. 106 praeterea dicit, pars illa Slavoniae, quae inter Ostia Dravi et Savi penes Danubium extenditur et jacet, est Sirmium.

LIV. Comitatus Veröcze, Posega, Valpo inter Comitatus Hungariae censentur a Slavoniaque distinguuntur A. 1447.

Haec Rubrica ex ipso Diplomate nulla sana Hermeneutica effabricari potest, quod secus et Segnia, Modrussa, et Corbavia Hungarica esse deduci posset.

LV. Vladislaus R. H. Judices Curiae Regiae causas appellatas e Regno Slavoniae extra seriem ac Numerum dijudicare jubet 1499.

In nigro probantur omnes Causae, quae in Tabula Banali judicabantur, extra seriem et Numerum in Tabula Regia revideri debuisse. Sed etiam inferioris Slavoniae causae in Tabula Banali judicabantur, et actu judicantur; ergo etiam hae extra seriem et numerum revideri debebant olim in Tabula Regia.

LVI. Idem Vladislaus populos Ecclesiae Zagrabiensis a solutione fumalium denariorum exemit. A. 1505.

Hoc munificentiam Vladislai erga populum Ecclesiae Zagrabiensis probat, et aliud nihil.

Digitized by Google

Iterato LVI. Slavonia tota liberata A. 1491.

Hic Slavonia ea intelligitur, ubi Civitas Albaregalis, et Castrum Vesprimiense est, Slavoniam nempe intra Danubium, et Dravum. Quod ipse textus Diplomatis innuit, ubi legitur: Castrum Vesprimense expugnare fecimus, et totam illam Slavoniam liberavimus. Nam Maximilianum ex Historia constat Hungariam invasisse, et Civitates multas: Sopronium, Gynsium, Jaurinum, et alias occupasse.

Cum Maximilianus Budam petierit, utique ad Croatiam nec divertit, quam *Joannes Corvinus* pro se defendebat. Et ita hic sicut nec inferior, ita nec superior interamnensis Slavonia intelligitur.

Repetitus LVII. Slavonia in fide nutans A. 1530.

Solum scissiones fuerant in Slavonia inter Episcopum, qui Partes Zapolianas tuebatur cum *Christophoro Frangepani* parte ab una; parte vero ab alia inter Regnicolas ipsumque Capitulum, quod Ferdinando adhaerebat cum Francisco *Batthyani*. Et inde Franciscum Battyan cum Zapolianis servasse eo minus dici potest, quod constet, eum Ductorem Exercitus Ferdinandei contra Zapolianos, et qua Banum adhuc per Ludovicum constitutum, et per Ferdinandum confirmatum pugnasse contra Christophorum Frangepani, qui per Zapoljam in Banum nominatus fuerat, et hoc ad Varasdinum coeso, scissionibus finem posuisse, scitur etiam ex *Kerchelich* N. P. Periodo: V. p. 353 et ibi citato *Istvanfi* suppari Scriptore, per quem etiam in opere de Battyan proprio p. 111. ad annum adhuc 1530 honorifica mentio fit, quive primum A. 1535 Banatum resignasse per Kerchelich refertur p. 362 Et Ludovicus *Povkri* adhuc A. 1534. Donationales ad LIX. per ipsum Disquirentem inductas a Ferdinando obtinere meruerat. Et Josephus Nicolaus *Kovachich* in Notitiis praeliminariis ad Sylloge Decretorum Comitialium p. 241. Ejus seu Bani meminit.

Digitized by Google

LVIII. Banatus ac Diaeta regni Sclavoniae ad defensionem et conservationem ejusdem Anno 1505.

Procusa Rubrica non correspondet adaequate Diplomati. Etenim hic tantum improbatur Bernardo de *Thurocz* turbatio Regni Congregationis, et commonetur, ne se in tales res ingerat, negotiaque Regis, et Regni turbet, Nobiles ad congregationem ire permittat, auditurus, quae circa defensionem Regni, et directionem aliorum negotiorum B. desiderentur.

LIX. Sclavoniae Regnum Domo Austriaca regnante ubi? A. 1534.

Nigrum continet B. collationales Ludovico *Pevkri* in Regno Slavoniae Castrorum Medvevár, Castellorum Rokonok, et Lykavcz. Unde autem Rubrica procusa, Dii noverint.

LX. Indubie usque opportuniora tempora clausum servatur.

LXI. Ferdinandus R. H. Slavoniae Comitatus Varasd. Crisiens. attribuit A. 1561.

Rubrica haec perperam conficta; cum Rex hic tenore Contextus Diplomatis nihil Slavoniae attribuerit; verum solum Colonos Capituli Zagrabiensis propter aedificationem Fortalitii Sisciensis in Comitatibus Zagrabiensi, Varasdinensi et Crisiensi existentes a Contributione per sexennium liberaverat. Et hoc unicum est, quod Diploma continet, atque ita totus hic casus ad assumptum cum Hungaria nexum nihil confert.

LXII. Post Ferdinandum I. R. H. Banatus Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae ad unicum, qui primitus fuit, rediit A. 1573—1741.

Documenta hic recensita recognoscunt ratione Banorum illud, quod *Ratkay* p. 40 scripsit. Cum enim fatali quorun-

Digitized by Google

dam incuria, ac extrema prorsus negligentia fines Patriae nequaquam ampliarentur, sed mutuis potius contentionum flammis jam fere in cineres consumantur; haud pluribus opus esse satis liquido constat, imo ob plurima eaque Procerum intestina, ac Vatiniana odia ne in immensum serpant, expedit prorsus unum solum praeesse.

De pluribus Banatibus extraordinariis legatur Samuel *Timon*: Imago Novae Hungariae Cap. IV. V. et praesertim VI. cap. Et Michael *Horvath* Statist. R. H. P. II. Cap. IV. § 5. in Nota sub C addit: »simul observes velim: Cum Bani limitum Praefecti fuerint, numerum eorum, ut res monebat, auctum, vel accisum fuisse.«

LXIII. Banorum Croatiae, ac Slavoniae durante Regum beneplacito jurisdictio ac provisio Anno 1542.

Sicut et reliqua omnia officia, excepto Palatinatu, quod vigore art. 22. A. 1526 erga propositionem Regis per St. et OO. in Comitiis eligatur, a beneplacito Regio dependent, ita et Banatus.

LXIV. In partibus inferioribus Hungariae signanter Sirmiensi, et de Valko Comitatibus Judex Curiae Regiae procedit A. 1494.

In Nigro simpliciter stat: in partibus illis inferioribus, et signanter in Comitatu Sirmiensi. Et non sicut rubrica minus recte exhibet: in partibus inferioribus Hungariae et signanter in Comitatu Sirmiensi. Partes enim superiores, et inferiores generice tenore art. 6. A. 1471 etiam Regna Slavoniae, Dalmatiae et Croatiae compellantur. Ita enim ibi legitur: »Castra finitima in partibus scilicet superioribus et inferioribus sive in Regnis Slavoniae, Dalmatiae, Croatiae, et partibus Transylvanis.« In reliquo hic tantum probatur, quod Judex Curiae *Kenis* A. hoc 1494 sicut Palatinus Michael *Or-*

Digitized by Google

szág A. 1481 specialem Commissionem acceperit in Malefactores etiam in Sirmiensi Comitatu inquirendi, et pro re nata puniendi. Quod ibidem *Ujlak* talium conscius putaretur.

LXV. Indubie etiam clausum pro alio tempore.

LXVI. Sclavonia primitivum Croatiae nomen recepit Anno 1683.

De Slavonia in Nigro nec vocula habetur, adeoque nec pro, nec contra eam aliquid hic probatur. Solum Regni Croatiae SS. et OO. ab illibata, et a continuo intemerata fide, ac fidelitate laudantur, atque ad ulteriorem constantiam, et cooperationem contra hostem provocantur.

LXVII. Idem Leopoldus Rex Hungariae Comitatus Veröcze, Posega, Valkovar etc. Slavoniam a Croatia distinctam dicit, et in politicis per supremos et Vice-Comites administrari praecipit Anno 1697.

Melius lectum clare exprimit: et attacto Regno nostro Slavoniae, praesertim vero Comitatibus Posegensi, Veröczensi, Valkovarensi. Et non prout in rubrica haud genuine exponit: Comitatus Veröcze, Posega, Valkovar etc. Slavoniam. Non ergo istud Diploma probat, mentionatos Comitatus, et Slavoniam distinctam esse a Croatia, sed in Slavonia, et attactis Comitatibus per militares Officiales, et Commissarios bellicos excessus fieri, et populum oprimi, ut proinde excessus isti praepediantur, et juribus populorum omni meliori modo prospiciatur, Comitatus Slavoniae ad Normam, et Methodum regulati Regni Croatiae organisentur. Rescriptum hoc dimissum fuerat ad SS. et OO. Regni Croatiae erga factam Bonorum Fiscalium in Slavonia existentium Administratoris *Zemlyak* Remonstrationem.

Inde etiam factum, quod cum benigne nominati Supremi Comites, et quidem pro Comitatu Valcovarensi Comes

Digitized by Google

Joannes *Draškovič*, pro Veröcensi autem et Posegano David *Ivanovič*, ob defectum Residentiarum continuo ibidem manere non potuissent, et ideo officia deprecati fuissent SS. et OO. superioris Slavoniae in conferentia sua Banali 1. Feb. 1698 Varasdini servata benigne postliminio Regno, cujus semper pars integrans fuerant, restitutis Comitatibus prospecturi Petrum Gotthal in qualitate Locumtenentis Banalis cum fusa, apud Kerchelich etiam p. 476—477 conspicua Instructione miserant, qui etiam eosdem Comitatus ad normam Croaticorum Comitatuum regulaverat, et miserae ei populationi pro possibili prospexerat.

LXVIII. Praeter Sclavoniam etiam nonnullae Croatiae partes, quae confiniorum nomine veniunt, retentae A. 1700.

Diploma ipsum probat potius conditiones, sub quibus per Banos cum influxu SS. et OO. Regnorum horum confinia Colapiano-Unnaniana regenda, et administranda venirent.

LXIX. Episcopatus Zagrabiensis zelo, ac vigilantia in Slavonia et Comitatibus Posega, Veröcze, Valko, Szerém Reformatio radices figere nequit A. 1569.

Literae Apostolicae ad Episcopum Zagrabiensem missae, extollunt zelum ejus pro tota Slavonia sub jugo Turcico gemente impensum, et exhortantur Eundem ad ulteriora studia ac spiritualia opera impendenda.

In nota laudatur quoque Capituli Zagrabiensis spiritualis zelus, et clero unice Zagrabiensi adscribitur, quod reformatio ibi radices figere nequierit. Ita eotum cum Zagrabiensibus pro inferiori Slavonia ex Hungaris nemo certavit.

Digitized by Google

LXX. Dionysii Comitis Palatini pro familia Voykfi, Proto Rege Stephano, ac Bela I. inter Dravum et Savum possessionibus donata, sententia judiciaria A. 1228.

Rubrica est admodum obscura, sed et si de possessione aut terra intra Dravum et Savum situata sonat, est quoque ex toto falsa. Sententia enim C. Palatini non agit de terra intra Dravum et Savum jacente, sed inter fluvios Puker, et Tapolcsa sita. Solum pro testimonio adhibiti Proceres ex partibus intra Dravum et Savum seu Muram, quae etiam nomine Savae olim veniebat, uti videbis in Responso ad Tuum § 17. nex. et rel. commorantes fuerant. Et aspiciat quamcunque geographicam Comitatus Saladiensis mappam, et videbit: ubi quaestionata terra seu Villakeresztur jaceat. Et si nebulae praejudiciorum adhuc non admittunt videre, legat metas in indicatis literis Capituli Quinque-Ecclesiensis expressas, et cum rubore capacitabitur Dominus Disquirens.

LXXI. Andreas R. H. praemissam Dionysii sententiam transcribit, et confirmat A. 1228.

Transsumptum hic plus non probat, quam originale. Adeoque inanis scribillatio.

Corollarium ex suppositis erroneis non potest nisi erroneum esse, quidquid ludere placet.

LXII. post LXXI. Brevis Historiae Slavoniae Anacephalaeosis ab Episcopo Zagrabiensi consignata A. 1599.

O Polybi! Polybi! Quare Te tineae Universitatis gratis rodunt? Cui quaestionatus *Zelniczey*, aut sicut Tibi placet *Zelniczy* scripsit? quare, quo fine? An ita truncate? *Kercselich* in H. E. Z. pag. 308 — 319. totum clare habet: scripsit hic qua favoribus Herbersteinianis electus Episcopus Zagrabiensis, dum ad Taxas Cancellariae Pontificiae solvendas per nuncium Apostolicum urgeretur, et im-

Digitized by Google

pugnaretur, quod Hungarus Episcopus non sit, ut vigore art. 14 et 15. A. 1550 ab hac obligatione relevari possit; cum distinctam haberet considerationem Croatia ab Hungaria, quodve lex, quae ad Slavoniam, et Croatiam nominetenus se non extendit, nec obliget Croatas, adeoque nec favor, qui hungaris Episcopis per Pontifices exhibetur, Croatis applicari possit, hic ut, quo scopum suum assequatur, Hungarum Loco etiam talem se remonstret, omnes praejudicatas hungaras intuitu Croatiae opiniones congessit, et quae potuit per fas, et nefas in favorem suum traxit, et ut obstinax fuerat, et lucrari noverat, cognatum Pontificis Joannem Franciscum Aldobrandini, qui exercitus Pontificii 10,000 peditum Dux fuit, votis potitus est; eo magis, quod novae ejus ideae magnum strepitum etiam in aula Caesarea excitaverint, et reipsa etiam Episcopatus Zagrabiensis a Turcis eotum multum passus fuerit. Qualibus autem sophismatibus in rem suam usus fuerit, quod Slavoniam a Croatia per fluentum Cettina dividi praetenderit. Intelligendo Ducatum Sabae seu Hercegovinam, quam Cettina a Croatia dividit, sed nuspiam modernam Slavoniam, Savoniam, Saviam, interamnensem dividere videtur. Dein praetendit Slavoniam ante Ducem adhuc Geysam Hungariae integrantem partem fuisse, in aerem loquendo cum ante annum 950. utique non, quod eatenus nullam mentionem faciat Const. Porphir., qui recte eotum terminavit opus suum. Anno 986 aeque non, quod hoc anno axioma Imperatorum Basilii et Constantini memoretur. Quorum etiam commemoratio in Diplomate *Dircislai* 1000 edito occurrit.

Postea quoque ante tempora S. Ladislai et Colomani pariter non, quod omnes opinationes speciosis suppositionibus potius quam solida ratione abundent.

Unde Lucius L. II. C. 14. vere habet: »Spalatinae autem Provinciae fines usque Danubium, et per totum paene Regnum Croatarum protensos *Terpimiri* Ducis privilegium te-

Digitized by Google

statur: Tininiensisque Episcopi usque ad Dravum jurisdictionem pervenisse, scilicet praeter Croatiam mediterraneam, interamnensem quoque Croatiam comprehendisse, cum nondum Zagrabiensis Episcopus institutus esset, ut suo loco referetur.« Ideo ea, quae Volfgangus *Lazius* Comentar: Reip. Rom. l. XII. C. III. refert, de Sirmiensi Episcopatu a S. Stephano Rege Ungariae restituto, vera esse non possunt, cum e supra relatis ex Cedreno constet, Sirmiensem Regionem ejusdem Regis tempore Graecis paruisse, ibique Graecorum Praefectum sedem habuisse. Ideo Lazium ex posterioribus Ungarici Regni finibus, tempore quoque S. Stephani Regis Regni terminos ultra Dravum extensos credidisse oportet: prout etiam relati veneti scriptores eadem de Andrea et Salamone Regibus Ungariae referentes refutati fuerunt. Et instrumentis, quae nusquam videt, minando recitat ex tripode, quomodo praetensive S. Stephanus Slavoniam *Krešimiro* cessisset, hanc Andreas recepisset, et iterum *Zvonimirus* acquisivisset, et S. *Ladislaus* stabiliter recuperasset, praetendit effronter, Episcopatum in sola Savia Pannonia esse, hancque veteris Pannoniae esse partem, ergo hoc ipso Hungaricam esse, pluraque alia, quae expedit nec commemorare.

Ergo haec Anacephalaeosis tantum probat, quantum et nuda sua, quae congessit D. Disquirens, Diplomata, quae quid probent, nec distinguere scire videtur. Si autem haec ceu Oracula reipsa servat, satis probat, cujus judicii et studii sit, hoc illuminato Saeculo, quando etiam in Hungaria Critices et Hermeneutices studia traduntur. Sed hoc totum excusat amor Patriae, quasi hic, si verus est, non deberet esse purus, ac prudentia et charitate conditus.

Interim hoc nos solatur, quod publicae Ephemerides jam Magistros ludendo, et instruendo suppleant. Ita: »Die Beilage zur Allgemeinen Zeitung vom 21. Jänner 1841. »Nur Geschichte wird wie eine missrathene Tochter in die Ecke gestellt, ja man überträgt sie nicht selten dem, der sonst zu

Digitized by Google

nichts recht zu gebrauchen ist.« Et illud: »Es war eine Zeit, wo man glaubte, dass etwas, um des Druckes würdig zu sein, einen ausgezeichneten Werth haben müsse; seit dem die Litteratur merkantilisch geworden, ist dieser Glaube verschwunden.« Rupert *Kermann.*

»Die Gewürzkrämer sind wahre Schätzer der Literatur; denn sie beurtheilen die Bücher nach dem Gewichte.« Luna Nr. 42, vom 20. October 1832. Beilage zur Allgemeinen Zeitung vom 24. Oct. 1843: »Dass denen man unbesorgt die Archive öffnen könne, und die dann nicht bloss dürre Facta berichten, sondern Grund, und Ursprung der Ereignisse nicht aus den Fingern gesogen, sondern aus gründlicher Forschung mit sachkundigem Scharfsinn erörtert angeben würden.«

Congesta Tua Diplomata pace nostra possunt Tuo Diplomatario quaepiam inferri; sed ad propositum scopum rarissima citari. Habes in tuis Codicibus, quae magis ad rem pertinuissent, si historica fide procedere voluisses. Judex integrae fidei nullum ex productis Testibus claudit. Ita se homo perdit, dum semel a recto tramite deviavit. Finitis ita ad opus projectis, nec ad rem aliquid conferentibus, multo minus cum procusis rubricis cohaerentibus Diplomatibus, et terminatis desuper animadversionibus relate ad primum vasti operis volumen; transeamus ad aliud, in quo etiam novi nihil plus reperietur, nisi inveterati errores miserabiliter recocti conspiciuntur.

Visa serie eorum Diplomatum, quae D. Disquirens, quasi nexum, et correlationes Croatiae et Slavoniae cum Regno Hungariae concernerent, episodice absque naturali serie, et numerorum ordine projecit, ac discussis eorum cum propriis rubricis incohaerentiis et pugnis; videamus quid historice in eversionem veritatis, et elusionem jurium, quae usu saeculorum sacrata sunt, quaeve cuilibet intacta et illibata manere deberent, congessit, utique ad solvendum potius, quam stabi-

Digitized by Google

nendum desideratum nexum, et correlationes, adoptata per Eundem serie, et ordine.

Ad §. I. An Bagibaria sint Bagiegore (Babje gore), alpes Carpaticae, teste *Mikoci* in otio Croatiae p. 63., probari nequit, nec locus apodictice definiri: unde Croatae, qui Dalmatiam indultu Heraclii Avaribus eripuerunt, venerint. Illud tamen certum, quod Constantinus Porphirogenitus in citato per Disquirentem C. 30—31, seu de veteris Illyrici partibus, seu de Liburnia, seu Japidia, seu Savia montibusque Albiis, ac Dravo, ita parum habeat; sicut et quod tota Dalmatia vetustum nomen retinuisset, Liburnia autem cum Japidiae parte in Croatiam, Pannonia Savia in Slavoniam transiisset.

Ad §. 2. Parcitur etiam erroribus explicationis nominum urbium, et locorum, ex assumpta quapiam vocum similitudine, et convenientia per translationem, aut commutationem literarum a noto nominum corruptore *Kercselich* procusa, utpote ad scopum nihil conferentis. Hujus unice oblivisci non deberet, quod a fluviis Unnae, ac Hliuni usque Dravum reliquum Slavoniae Croaticae fuerit accensum.

Ad §. 3. Illud solum silentio praeteriri non potest, quod D. Disquirens Authoritate Porph. abusus venditet, eundem authorem C. 29 habere: Croatas Dalmatinos Consilio Basilii a quibusdam aliis Croatis annuo tributo pacem mercatos fuisse; cum in toto hoc capite eatenus aeque nihil reperiatur.

Ad §. 4. Haud recte praetenditur e C. 31. Porph. probari seu subjectio Croatarum Francis, seu horum in illos crudelitas, cum in citato cap. eatenus nec vocula videatur. Sed et illud majori proba egeret, quod Croatae sub Carolo M. iterato Francis tributarii fuissent, cum eatenus apud Constant. Porphirog. in citato Cap. 30 nuspiam vel vestigium reperiatur. Hic fidelis Scriptor cap. 30 habet, quod caeteri Crobati Belochrobati sive Chroati albi proprio Principi subjecti versus Franciam commorantes paruerint Ottoni M. Regi Franciae, quae et Saxonia, qui regnabat inter 924. et 962. De

Digitized by Google

Carolo nec jota uspiam, qui obiit A. 814. Alioquin eotum recte teste eodem Const. Porph. C. 29. Chrobati, qui Dalmatiae oppida inhabitabant, Romano Imperio per imperantium ignaviam, atque socordiam maxime Michaelis Amoriensis Balbi tantum non exspirante, sui juris exstiterant, neque Romano Imperatori, neque cuiquam alteri subjecti. Et hoc statim post fata Caroli factum fuisset. Itidem finitimae illis gentes: Croati, Servii, Zaehlumitae, Tarbuniotae, Diocletiani, et Hypogani excussis Romani Imperii habenis liberi, suisque, non alienis legibus usi fuerant. Porro deinde, ut antea dixi, per imperantium ignaviam, atque socordiam retro lapsae sunt res Romanorum, factique Dalmatae sui juris neque Romano Imperatori, neque cuiquam alteri paruerunt. Et Ludovicus eis, teste Porphirog. C. 29, contra Soldanum rogatus nec auxilia dare voluit. Sed et Annalista Metensis apud Katona in opere: Examen vetustissimi M. Moraviae situs p. 128: »Eodem anno 805 misit exercitum cum filio Carolo in terram Slavorum, qui vocantur Bohemi,« et non Croatae Dalmatini. Et si quid etiam fuisset, Carolo Imperium hic diuturnum haud fuisse, posset etiam inde concludi, quod dum in suo Testamento Ludovico Galliam, Carolo Germaniam, et Pipino Italiam legasset, de Dalmatia nec verbum habeatur. Et dato non concesso, Dalmatia Italica solum supra mare intelligenda venisset.

Nota ridicula est, quod quaestionati Croatae Gregorium M. circa Annum 604. afflixissent, cum hi teste etiam Tuo §. 1. primum sub Heraclio ad Dalmatiam venissent. Hic autem primo 610 regnare coepit, et 641 mortuus fuit. Et Porph. C. 31. dicit: »Pulsis iis (Romanis) ab Avaribus in diebus ejusdem Imperatoris Heraclii desolata eorum Regio jacuit, quapropter ejus jussu iidem Crobati armis arreptis Abares ex iis locis expulerunt, et in ipsorum terra, quam etiam hodie tenent, sedes collocarunt.« Chronologia aeque unus oculus Historiae.

Digitized by Google

Ad §. 5. Et etiam gratis quaerit e C. 31 Prophir. exsculpere, Slavonios Croatas proprios habuisse Principes, cum hoc capite nihil eorum reperiatur. Etiam perperam vellet hos Carolo M. subjectos fuisse, cum C. 30 Porph. clare scribat, quod Croatae post septem annorum bellum superiores facti omnes Francos, eorumque Principem Cotzilin e medio sustulerint, et exinde liberi, ac sui juris facti fuerint. Observante quoque Mikoci p. 282 et 283: Igitur verosimillimum illud quoque est, Croatas etiam in Pannonia existentes eodem tempore, ac eandem ob causam cum Dalmaticis arma corripuisse, et suscepti belli, operaeque idem pretium Francorum jugo, ut essent liberi, tulisse.

Ad §. 6. Habes rectum, si intelligis Pannoniam in laeva Dravi parte; e Deciso etiam ipsius Caroli M. controversiae inter Aquilejensem, et Juvaviensem seu Saltzburgensem Praesules in Tuo etiam Cod. D. T. I. p. 153 et 154 conspicuo, ubi Dravus terminus fuerat ambarum Dioecesium, adeoque Salisburgensis non minus a Savo usque ostium Dravi ad Danubium Jurisdictio detracta est, quam et Laureacensis jam tum Pataviensi Praesuli haud multo post, teste Mikoci p. 288, accidit. Quod ultro clarificatur per authorem conversionis Boioariorum, et Carentanorum, qui refert: Salisburgensem Antistitem Adelvinum, quem Schönlebius in Annalibus Carnioliae Anno 872 obiisse tradit: Natalem Christi Domini diem in Moseburg celebrasse. Et per tenores Privilegii Terpimiri 838 Ind. 15. Ecclesiae Salonitanae dati, ubi attingitur hujus seu Spalatensis Metropolis *pene*, aut ut Farlatus T. III. p. 53 ad Nrum. 22. rectius sustinet, *plane* per totum Regnum Croatiae se extendisse.

Ad. §. 7. Quam procul aberret D. Disquirens, dum praetendit: Croatas Slavonios, si Savienses intelligit in potestate Bulgarorum usque annum 818 fuisse: nam si Croatae hi usque annum 818 in potestate Bulgarorum fuissent, quomodo sub Carolo M., qui 814 jam mortuus fuerat, jugum Franco-

Digitized by Google

rum subivissent, quatuor plane annis tardius atque mortuus est, et potestas Bulgarorum cessasset. Sed et cap. 31. Proph. clare legitur: nam Crobatiae Princeps ab initio, id est ab Heraclii temporibus Romano Imperatori, non Bulgariae Principi subditus erat. Neque Bulgarus cum Crobatis bellum gessit, praeter Michaelem Borosen, qui sumptis armis, cum nihil efficeret, muneribus datis, et acceptis pacem fecit. Neque Chrobati unquam Bulgaris tributum dederunt, sed alteri alteros saepe amicitiae ergo donis cohonestarunt. Et C. 32: Porro circa illud etiam tempus Chrobatiam cum Alogobatur armata manu ingressi Bulgari omnes a Chrobatis interfecti sunt. Ita Chronica quoque Croatica ad A. 936 ad latinum transferendo: »Simon Bulgariae Rex pugnabat contra Croatas; verum devictus fuit, ac totus ejus exercitus ex integro deletus. Et postea Croatae depopulabantur Bulgariam.«

Dein quomodo in quaestione hic possent Bulgari esse, qui teste Theophane apud Kercselich p. 44 dominatum suum solum a Varna ad Savum extenderant. Adeoque non ultra Savum, unde semper usque annum 1019 videntur repulsi fuisse. Confundit se proinde D. Disquirens, aut alios confundere quaerit, dum praetendit: Croatas in aliqua parte a quocumque tempore usque annum 818 in potestate Bulgarorum fuisse.

Quid quod Tu ipse Cod. D. T. I. p. 5. quaestionatos Bulgaros non in Savia seu vulgo Slavonia, id est ad dexteram Dravi, ac Danubii partem fuisse, verum ad laevam Danubii, seu intrà Danubium et Tibiscum usque adventum Hungarorum exstitisse, et armis Francicis ultra Tibiscum repulsos in iis sedibus Graecorum socios effectos fuisse. Apud anonymum Belae R. N. c. 9. legitur: »Et laudabant (Rutheni) eis terram Pannoniae ultra modum esse bonam; dicebant enim, quod ibi confluant nobilissimi fontes aquarum: Danubius et Tiscia. Quam terram habitabant Slavi Bulgari, et Blachii, ac posteri Romanorum.« Id ipsum confirmat c.

Digitized by Google

11. dicendo: Terra autem, quae jacet intra Tisciam, et Danubium praeoccupavisset sibi Reamus M. Dux Bulgariae, Avus Salani Ducis usque ad confinium Ruthenorum, et Polonorum, et fecisset ibi habitare Sclavos et Bulgaros. C. 12. Enarrabant, quomodo mortuo Attila Rege Magnus Reamus, proavus Ducis Salani, Dux de Bulgaria egressus auxilio, et consilo Imperatoris Graecorum praeoccupaverat terram illam. Qualiter item ipsi Slavi de terra Bulgariae conducti fuerant ad Confinium Ruthenorum, et qualiter nunc Salanus Dux eorum se, et suos teneret. C. 14. Anno 903 Arpad Dux missis exercitibus suis totam terram, quae est inter Thisciam et Budrug usque ad Ugosam sibi cum omnibus habitatoribus suis praeoccupavit.... Et Salano respondit: licet proavus meus.. Atila habuerit terram, quae jacet inter Danubium et Tisciam usque ad confinium Bulgarorum, quam ipse habet — attamen... peto de mea justitia unam particulam, scilicet terram usque ad fluvium Soniou, et insuper .. duas lagungulas plenas aquae Danubii, et unam sarcinam de herbis sabulorum Olpar. Et nihil ultra petiit. C. 16. Tunc Ound, et Retel, nec non Turzol ... super verticem ejusdem montis (Turzol) terrae undique prospicientes, quantum humanus oculus valet (adeoque non Saviam, quam montes Sirmienses tegebant) tertia die Ducem Salanum in Castro Opar juxta Thisciam invenerunt. C. 19. Miserat Salano Duci Titelensi. C. 38. Cum ad Ducem Salanum pervenissent in illo loco, qui dicitur Tetel, factum est gaudium magnum in Curia Ducis. Ergo tenore fassionum etiam Anonymi B. R. N. Salanus in Savia, seu moderna Slavonia inferiori, aut in Sirmiensi Ducatu non fuit, verum in moderna Hungaria intra Danubium et Tibiscum. Si autem Tuus Anonymus hic fidem non meretur, legas Tuum aeque celeberrimum Stephanum Katona, vel in solo opere: »Examen vetustissimi M. Moraviae situs,« ubi p. 120 Logothetum Scriptorem Graecum seculi 13 in haec verba citat: »Bulgari captivis omnibus acceptis tanta multi-

Digitized by Google

tudine, ut et numerum vinceret ... in Bulgariam trans Istrum fluvium procul deportarunt.« Exstitit igitur Bulgaria transistriana sub annum 813 Et p. 121. conclusio ipsius Katonae sequens est: »Vides igitur, patere rimam, secus ac Tu tibi persvadeas, per quam id, quod Anonymus narrat, videamus. Magis per hanc rimam ditio Bulgarorum ultra citraque Tibiscum videri potest. — Nec Anonymus, quod eidem objicis Bulgarorum ditiones Carpato Galliciaque terminatas fuisse, sed Slavos de terra Bulgariae conductos esse.« Et p. 125 — 6. de Bulgaris: »His subin cum Avaribus a Carolo Magno victi versus Tibiscum propulsi sunt anno C. 796 eosdem circulo nondum circumacto, quam Hungari has in oras penetrassent, eosdem inter Tibiscum et Danubium plagas, quas Anonymus illis tribuit, retinuisse svadent attritae vires Avarum, quibus a Consangvineis Moesiae Bulgaris adjuti potentia praevalere facile poterant. Sed et Cl. Spanjik p. 48 sub stellula ex Anonymo occupati Regni Hungariae historiam ita describit: »Traducti per montes Carpaticos Hungari plures Principes, ac populos hic reperere. In Regione Danubio, Tibisco, et Grano conclusa Salanus dominabatur, eique Bulgari, ac Sclavi suberant... Primus impetus in tractum terrae Tibisco et Bodrogo interjectum, quo capto indultu Salani (nam minae nihil profecerant) quod a Bodrogo usque ad Šajonem extenditur, sui juris fecerunt.« Fide Dissertationis Episcopatus Nitriensis ejusque Praesulum memoria Schematismo Ecclesiae Nitriensis anno 1835 praefixa, quaestionati Bulgari non fuerant intra Danubium, et Savum, verum intra Danubium, Tibiscum et Granum. — Dein in Historia Joannis Christiani v. Engel in suo opere: Geschichte des ungarischen Reichs. Erster Theil. Wien 1813 p. 67 et 68 de Pannonia: »In diesem Kreise befanden sich bis Vesprim, oder Weissbrünn hinab deutsche Ansiedler (Theotonici), tiefer unten aber sassen Italiener, welche Carl der Grosse zur Beschützung der Grenzen wider die Avaren hatte kommen, und

Digitized by Google

dort ihre Sitze aufschlagen lassen, wo sie ansehnliche Viehheerden besassen; noch weiter unten hatten sich Croaten, Serbler und Dalmaten niedergelassen und unter eigenen Fürsten abgesonderte Staaten gebildet. Zwischen der Donau, der Theiss und der Vag herrschte ein bulgarischer Fürst Salan (denn seit Crunus 813 gab es eine Bulgarey an der Theiss) der zweierlei Unterthanen hatte, hoch oben in den gebirgigten Gegenden gegen den Carpatus Slaven, die durch die Bulgaren von der untern Donau in diese Sitze verpflanzt waren, in den Ebenen aber eigentliche Bulgaren; er selbst sass in der heut zu Tage von ihr so genannten Salan Kamen (Salans Stein).« — Postremo »Ungarn das Reich, Land, und Volk wie es ist, von Hans Norman. 1. B. Leipzig 1833 p. 24. Was ehemals Sabulum Olpar hiess, grösstentheils Attilas Besitzthum, trägt nun den Namen Kecskemeter Haide, welchen es bei allem Wechsel seiner Oberherren beibehielt. Auf diesem trockenen Meere, wo der Reisende weit und breit oft nichts erblickt, als blauen Himmel, zahlreiche Räuberschaaren, dem Arm der Gerechtigkeit trotzend, und schöne Viehheerden ihre Hirten einlagernd erheben sich, verstümmelten Denksäulen gleich die Trümmer verlassener Kirchen. Der unterste Theil dieses grossen Landstriches ist die Haide Szer, eine jener 33, welche einst das Besitzthum der Ketskemeter ausmachte; sie liegt in der Csongrader Gespanschaft nördlich von Szegedin nicht weit vom Theissstrome. Im Jahre 893 erschienen hier die Ungarn unter ihrem Herzoge Arpad, schlugen den Bulgaren Fürsten Salant, vertrieben ihn aus seinem Herrschersitze Olpar, und dem Lande zwischen der Donau und Theiss, liessen sich auf der weiten Ebene nieder, und nannten sie, weil bald dauernder Friede daselbst hergestellt und bürgerliche Ordnung eingeführt war, Zeer oder Szer (Ordnung), in der Sprache dieser alten Völker. Bei dem Einfalle der Tartaren wurden zerstört und die Gegend umher verwüstet.« etc.

Digitized by Google

Sed et ipse disquirens cod. sui Diplom. T. I. p. 205 ita habet: »Bulgari Avarum Imperio inclinante terras Avarum trans Tibiscum obsederunt, subin intra Tibiscum, et Danubium sitas Francis et Bavaris ademerunt, tenueruntque adventum usque Hungarorum.« Citatus autem per Disquirentem vetustissimus author, et coaevus quispiam Geographus dicit: »Ostwärts von Kärnthen jenseits der Wüste des durch Niederlagen der Abaren unter Carl dem Grossen zur Wüste gewordenen Urgarn ist Purgara — land« adeoque in Hungaria.

Ad §. 8. An Branslavus nepos Privinae et Chezilonis filius fuerit, anve intra Dravum et Savum in hodierna Slavonia, aut Carantania, et Carnia, aut intra Dravum et Salam Dux exstiterit, Historici teste Josepho Mikoci Op. Cit. Cap. 5. non coaluerunt. Sed nec ipse Disquirens sibi constat; etenim in praesenti §. praetendit eum filium Chezilonis, et in §. 58 ad 1. Cotzelini. Ita quoque hic eum intra Dravum et Savum regnum tenuisse, et ibi inter Dravum et Salam. Et pro posteriori opinione sunt Koller etiam et Salagius. Ita quoque Belius teste Schematismo Ecclesiae Nitriensis anno 1835 p. 48, ei Regimen non in Carantania, aut Pannonia Savia, sed in Pannonia in genere dicta inferiore, quae ab Arabone fluvio incipit, assignavit, et per fluvium Sava, non flumen Savum sed Sala intelligendum voluit. Principemque Privina fundatorem fuisse civitatis Salispurgae in Diplomate Arnulphi de anno 886 Salapingen nobis Szalavar vocitatae, cum Castro Moseburg, seu Castro paludarum, Hungaris Balatonvar in ruinis haerente: filium vero ejus Kotzel sive Hetzil prope Civitatem Szalapurgam in quodam nemore, et Palu sede fluminis, seu palude Szalae, unde Germanicum Blatensee, hungarica Balaton lacus nominatio originem habuerit, aedificasse Ecclesiam hodieque Kozdam seu Kozeldam (Kozeli Ecclesia) a vicinis appellatam, in qua requiescere dicebatur Corpus S. Adriani M. ab S. Stephano R. in Abbatiam

Digitized by Google

S. Adriani M. Ord. Bened. de Insula Szala conversam, et dotatam. Et Annalista Fuldensis ad annum 895 apud Katona in supra citato opere p. 156 refert: Arnulfum Pannoniam cum urbe Paludarum Braslovoni Duci in id tempus commendasse. Et si etiam bonus Kercselich scivisset, quod se p. 79. ignorare fatetur, ubi Paludarum urbs fuerit, Braslavonem non transtulisset ad inferiorem Slavoniam; sed in inferiori solum Pannonia, quae ab Arabone incipit, et usque ad exostiationem Dravi in Danubium se extendit, eum ibi ultro permisisset, ubi etiam est Castrum Hezilonis Moseburg. Sed nec Odgora, et Tua Culpa remonstrat plus. Nec uspiam etiam Odgora legitur, verum Odogra apud Mikoci p. 289, et non Culpa sed Gulpa in Fuldensibus Annalibus habetur, latine Colapis, et Croatis Kupa. Interim sive Odgora, seu Odogra, aut ut Blaškovichio placet, Corcora sit, intra Dravum et Savum nuspiam reperientur. Et Croatica Odra, atque Colapis a Savia secus multum distent, praeterquam ubi in Colapi cum Savo uniuntur. Quaerantur potius in illis locis, ubi per tales fluvios ad eos Bulgaros deveniri posset, qui intra Danubium et Tibiscum teste etiam Tua subnexa Nota fuerant, et ubi propius, et plus de sale habetur, quam in actuali Bulgaria. Mikoci p. 298 habet: Sane non adducor, ut credam, Regionem (Moesiam) sat longe disjunctam, neque ab idgenus fodinis unquam celebrata salis causa petendam fuisse Moravis, quod in finitima Moraviae provincia, qua haec Tibisci fontibus proxima est, jam id temporis, ut puto, sal cederetur, et inde fortasse secundo Tibisco flumine Bulgaris Moesiacis praeberetur. Huic vero provinciae, et salis ditissimae, et Moravis finitimae praeerat Dux Bulgarus. Ad hunc potius, quam Regem Simeonem legatos fuisse missos credibile. Vid. cl. Katona Hist. Crit. Ducum Hung. p. 100: Et Suatoplugus in his partibus nihil habuit, ut legatis Arnulfi ad Saviam, ac plane ultra eam transire necesse fuisset ad hoc, ut ad Bulgariam secure ire valuissent. Sed et secus etiam

Digitized by Google

si contextus praesentis Tui paragraphi totus consideratur, facile conspiceris aliud velle, et aliud reipsa facere. Subnexa Nota ad quaestionem prorsus nihil confert, cum Bulgari non in Croatica Slavonia ex eadem fuisse conspiciantur. Sed hinc trans Dravum in Hungarica, ubi Balaton lacus, et Savus Hungaricus seu Sala, et non Savonicus vulgo Slavonicus, rectius Croaticus, a Croatis, qui hunc Tractum cum suo horsum adventu occuparunt.

Ad §. 9. Sufficit attingere ex erroneis praemissis non nisi erroneas consequentias prodire. Remonstrato enim ad §. 7. eo, quod Salanus Dux Bulgarorum intra Danubium et Tibiscum regnaverit, et intra Dravum, Danubium et Savum nihil habuerit, hic Dalmatiae et Croatiae occupandae Hungaris nullam occasionem dare potuisset. Impossibile autem est Hungaros, qui Arnulfo foederati erant, nullam ob causam in Pannoniam illius juribus, ut ait Georgius Pray Ann. V. p. 334 eo tempore obnoxiam, irrupisse. Vere proinde dicis: Te delapsum esse: sed non ad momentum quaestionis, verum per levia Tua avia, et devia ad abyssum errorum. Sed et quo tempore id factum fuisset? Sub Arpado certe non, quod hic circa Annum 888 Dux creatus fuerit, et mortuus sit 907. Sub Zulta aeque non, quod hic jam obierit 949, cum hoc tempore recte scripsit historiam Porphirogenitus, qui ab Anno 912 jam Imperio praefuit, et usque 959 vixit, et suam historiam circa A. 950 terminavit, quin uspiam vel minimam voculam eatenus habeat, ut potius diserte exponat, quod Croatae indultu Heraclii Avares ex his partibus pepulerint, ac terras has usque adminus Scriptionis tempus, atque adeo intercapedine regiminis recte Arpadi et Zultani tenuerint. C. 30 postea autem inclinante fortuna Hungarorum, quomodo id fieri potuisset? quando nec Anonymus praetendat. Et C. 32 quod Croatae Bulgaros cum Alogobotur Croatiam ingressos omnes interfecerint. Porro C. 31 quod tempore Kresimiri 60,000 Equitum 100,000 peditum, 80 Sagenas

Digitized by Google

et 100 conduras habuerint. Sciretur etiam secus Mucimirum usque A. 892 Regem Serviae, Bosniae, ac totius Croatiae fuisse. Sed nec 986, et 1000 fide etiam Tui § 15 ita quoque nec 1010, et 1019 testimonio quoque Tui § 18. Jam si Hungari totum usque Mare Adriaticum habuissent, ubi tantae vires Croatarum ad semel desiissent, et quid Croatae retinuissent? et dato non concesso, si id etiam aliquando factum fuisset, quando, quove modo haec iterum ab Hungaris recepta fuissent, oporteret eruderare, et non miscendo asserere. Anonymus B. R. N. etiam lapsus est; et indubie Dalmatiam Illyricam cum Dalmatia Theutonica facile confudit, et pro more suo et suorum divagando, et omnia per auxesim, et hypothyposim alioquim scribendo e proprio addidit plura. Dalmatia enim alia est Illyrica ad mare, alia Italica supra mare, ac tandem Germanica Regio, quae inter Albim, et Vistulam a Danubio usque mare Balticum longe lateque porrigitur. Farlati Prolegomenon P. II. Fide enim p. 351 Georgii Pray cit. Annal. V. Erant ab hac pace, quam Conradus cum Arnulfo iniit, res in Germania utcunque paccatae quoad Hungaros nova cupido incessit, in hosticum procurrendi, anno ut reor 922 aut potius, si Vitichindum audimus ab Daleminciis contra Henricum in auxilium vocati essent. Et porro ibidem: Igitur exercitus Hungororum, scribit Vitichindus, a Sclavis conductus multa strage in Saxonia facta, et infinita capta praeda in Dalmatiam reversi obviam invenerunt alium exercitum Ungarorum, qui comminati sunt bellum inferre amicis eorum eo, quod auxilia eorum sprevissent, dum illos ad tantam praedam duxissent. Unde factum est, ut secundo vastaretur Saxonia ab Hungaris, et priori exercitu in Dalmatia secundum exspectante, ipsa quoque in tantam penuriae miseriam ducta sit, ut aliis Nationibus eo anno relicto proprio solo pro annona servirent. Continuat Pray: Ex qua incursione, ceterisque, quae secuturis annis in Saxoniam ab Hungaris susceptae sunt, facile liquet, Moravia omni ea aetate Hungaros potitos esse,

Digitized by Google

quin ipsam quoque Bohemiam iis tributariam aut amicitiae foedere junctam fuisse oportuit, quod per Bohemiam necesse iis fuerit in Saxoniam procurrere; eam quoque ob rem Delemincíis, qui Saxonibus finitimi erant, ut suo loco narrabimus, illigati fuere et ultro usque pag. 355. Plura eatenus etiam apud Farlatum T. I. p. 118, et sequentibus.

Joannes Pessina in Hist. Prag. Chronici Alberstadensis verbis illis: Venceslaum Bohemiae et Dalmatiae Ducem, opposuit: Delmantia pars est hodiernae Misniae Bohemiae vicinior. Hujus rei habetur etiam vestigium in C. 31 Porphirog. circa finem; Magna autem Crobatia, quae etiam Alba cognominatur in hodiernum usque diem .... equitem peditemque non habet tam numerosum, quam baptisata Crobatia, quippe frequentibus incursionibus infestata Francorum, Turcarum, Pacinacitarum, neque conduras item, aut navigia ad mercaturam, utpote a mari remota.

Ad §§. 10, et 11. Quamvis in Responso ad praecedentem § jam etiam hic obmotae difficultates superatae intelligi deberent; cum tamen hae iterentur testimonio solius Anonymi B. R. N. tacentibus utique coaevis non minus domesticis quam extraneis; authoritas hujus oraculi tantisper discuti debet. Hujus nec scitur aetas praestitae fassionis, nec constat, cujus fuerit Nationis, status et conditionis, ut scientia, et veritas, dotes unius Historici, censurari possent. Hinc, teste etiam Belio, de fide ejus nihil statui potest. Dicit enim hic in praefatione ad opus ejus anno 1746 Editionis Schvandtnerianae, quod author hic ante annum 1744, nec fando doctis cognitus fuerit, in solius Bibliothecae Viennensis loculis delituit, quo, quando, et quomodo illac pervenerit, adhuc nemo scit. Anno primum 1744 Clementissimo Regio Indultu describi potuit. Authographum alioquin nemo vidisse scitur. Sed nec integrum ullatenus est, verum mutillum esse debet, cum author dicat, se Genelogiam Regum atque nobilium scribere; ubi tamen de solo Almo, Arpado, Zulta, Toxa, et Geysa

Digitized by Google

scripta exstant praeter jejunam quampiam mentionem C. XI. S. Stephani C. XV. Andreae filii Ladislai Calvi, et Petri Regum et C. XXXII. Abae, quem Samuelem appellat. Imo et corruptum; Exemplaria enim sibi contradicunt. Ita apud Georgium Pray p. 310 Editionis Schvandtnerianae 1746. c. 7. leguntur Hungari anno 818 e terra Scitica versus occidentem egressi esse, et in Editione Claudiopolitana anni 1747. anno 883. Quis autem mutillis, et corruptis Instrumentis tute uti, aut abuti potest? Quid quod sint alii, qui dubitant secus etiam de fide ejus. Ita Spanjik p. 36., si Anonymo credimus, ita quoque in Episcopatus Nitriensis, ejusque Praesulum memoria Posonii 1835 typis Heredum Belnay edit. p. 110. §. 5. De Abbatia S. Hippoliti in monte Zobor octava linea, si Anonymo Belae Regis Notario credimus. Georgius Pray A. V. p. 311 dicendo: Ceterum cum Anonymus B. R. Notarius Chronicorum authoritate se niti ipse fateatur; quae ego maximam partem magis ex populari rumore, et traditione, quam veterum Scriptis coagmentata puto, et 331: Reorque, Anonymum aut populari rumore, aut confuso temporum ordine deceptum, quae Cabaris verosimiliter tribuenda erant, Hungaris perperam tribuisse, non secus etiam carpit eum p. 295., 309, 310. et 327. Daniel Cornides in opusculo Viennae, sumptibus Stahelianis 1791 edito p. 19 dicit: Videtur mihi Anonymus majorem hoc loco habuisse elegantis latinae phraseos, quam veritatis rationem; ut proinde judicium, quod de Bonfinio Matthaeus Raderus in Bavaria Sancta Vol. II. p. 191 in hunc quoque Scriptorem Anonymum optime quadret: Bonfinius, inquit, dum vult latine, quod ipsum facere non potest, scribere, superstitiose, et profane, ne quid dicam, gravius loquitur. Et p. 96 a) Anonym. B. Notar. Vera ignorantia, an magno in gloriam gentis studio excusandum reticuisse majorum nostrorum cum Pacinacitis conflictum p. 111. Memorabile est etiam tertiae migrationis veras causas Anonymum reticere. Eruditus Carolus Ant. a Gruber: Historia

Digitized by Google

linguae Ungaricae. Posonii 1830 memorat triplicem Hungarorum a Pacinatitis pulsionem paginis 9, 10, 11 etiam attingit. Et Madarassi in sua prima Dissertatione p. 27 loquitur: Excepto eo, quod idem Belae R. Notarius sic notat: ab occidente usque ad mare, ubi est Civitas Spalatina. Quae pericope indubie ad ejusdem Historici loca referenda venit, ob quae suspecta ejus fides, utpote, qui res retulit, non uti illae sub Ducibus gestae erant, sed sicut aevo suo illas reperit. Ita quoque Kelemen in Historia sua Juris ait: quod praerogativam primae electionis Almo Arpadi Patri tribuerit addendo: Scriptori plus hic deferendum censemus, qui C. 38 habet: Et ante hunc Arpadem Turcae Principem alium nullum unquam habuerunt, ex cujus etiam posteris ad hunc usque diem Princeps ipsis constituitur. Conabatur equidem R. D. Katona utrumque conciliare, sed opinioni ejus verba Constantini, et numerus Ducum e Carthuicio defixus refragantur. Sed et ipse Katona in opere: »Examen Vet. M. Moraviae situs,« magnus secus Anonymi defensor, in praefatione tamen ait: Non quidem omnem ejus narrationem, et opinionem meam faciendo. Et p. 77: Anonymi certe causam non destituam, non quasi quidquid ille scripserat, probarem, ac in verba jurassem. Interim unus e Croatis non praetendit quaestionato Anonymo omnem fidem esse negandam, verum solum, ne illi coece, tacentibus extraneis, et domesticis Scriptoribus totum indiscriminatim credatur, plane instar oraculi, prout D. Disquirens facit.

Ad Notam sub § 10. satis est dicere, quod asserta Kercselichiana ex jam ad priores Disquirentis §§. remonstratis omni fundamento careant. Bonus Vir videtur ex interpretatione Anonymi hunc aut non intellexisse, atque ita deceptum esse, aut decipere voluisse, prout et omnes illi, qui coece authorum interpretationes sequuntur. Quantum ad sinistras inde conclusiones, quia in titulis Regum Hungariae usque saeculum XV. nulla mentio Regni Slavoniae occurrit, deberet

Digitized by Google

et Kercselich et D. Disquirens secundum Polybii praescriptum ad illius temporis circumstantias reflectere, et simul aspicere, cuinam Regno hoc novum Regnum incorporatum manserit, an semper, dum Regnum Hungariae scribebatur, etiam mentio Regni Slavoniae fiebat, vel solum tunc, dum Dalmatia et Croatia occurrebat? Ad augendos titulos e generali Slavonia, cujus nomine scriptores, teste Andrea Jambrešić in suo Lexico p. 925, saepe acceperunt: quidquid terrarum a Dravo amne ad Adriaticum mare protenditur. Speciatim ad eam regionem restricta, quae Savo et Dravo clauditur; indubie ex errore quod Savia, Savonia dum compellaretur, a populi, qui eam incolit, Slavonia sola compellari putaretur? Interim Coronae Hungaricae eodem, quo Croatia, et Dalmatia tempore et jure accessit. In *superiorem* et *inferiorem* dividitur. Illa saepe nomine Croatiae venit; haec Neoacquisticorum, ut vocant, jure regitur.

Ad §. 12. Meretur meminisse Porph. C. 40 dici monumenta: Belgrad et Sirmium exstare ad cursum Fluminis, et in specie juxta Istrum flumen. Dein quod Hungari dicantur ultra haec monumenta, atque adeo trans Danubium e parte Thessalonicae, et ibi, ubi nominati fluvii essent; legitur enim ita: »Atque haec quidem juxta Istrum monumenta sunt, et cognomina; ulteriora vero, quae omnia Turcis habitantur, cognomina jam habent a fluminibus transcurrentibus. Eorum primum Timeses est, alterum Crisus, tertium Titza. Et eotum prosequitur: Confines autem Turcis sunt ad orientem Bulgari separante Istro, qui et Danubius; ad septentrionem Pacinacitae; ad occidentem Franci; ad Meridiem Chrobati.« Modo aspiciamus ordinatam mappam, et relate ad Francos citatum superius ad §. 7. Engel: Nonne in hac positione eotum Hungaris Croatae ad meridiem debuissent fuisse in inferiori Slavonia, et Servia, seu in Pannonia, et Illyrico, quo pars Croatarum teste Porph. C. 30 secesserat. Farlatus enim T. I. p. 117 ad haec Porph. verba: E Chrobatis igitur, qui Dal-

Digitized by Google

matiam occupaverant, duplex Chrobatorum secessio facta est: altera ad orientem, altera ad septentrionem, hi quidem migrarunt in Pannoniam Saviam. Illi vero profecti sunt in Illyricum, hoc est: in Moesiam superiorem, Illyricum nempe Orientale, quod unicum jam tempore Constantini Porph. in usu fuit teste Farlato in limine partis II. citato, et ab Serblis ejusdem Nationis, et linguae populis in agrorum societatem admissi sedes, et domicilia collocarunt in Moesia, quae tum dicta est, hodieque dicitur Serblia.

Ad §. 13. Praeprimis animadverti oportet, quod D. Disquirens citatum Kercselich in fine male citaverit: hic enim habet: nec orientis, nec occidentis *Imperatoribus* adversantibus, ille autem *Scriptoribus*. Interim demus licuisse Discipulo Magistrum corrigere. Responderi posset: nec consentientibus; res enim, quas ille narrat, non fuerant clandestine actae, nec fuerant parvi momenti, ut Porph. seu occasio defuisset eas resciendi, seu causa non commemorandi, ut potius socordia illas omittendi exstitisset. Quantum vero quaestionatus Anonymus de Hungaris, et jure publico meruerit, cum post eum detectum nihil innovatum esse sciatur, in discussionem unus e Croatis se non immittit. Verum solum inquirere pergit, quibus fundamentis ejus historica facta initantur, et e remonstratis in responsis ad §§. Disquirentis 9. 10. 11. ultro sustinere debet, eundem, utpote utroque historiarum oculo, Geographia nempe, et Chronologia destitutum, audabatarum more saepius impegisse. Quantum autem ad doctissimum, praesertim in commutatione vocum, et corruptione locorum, Kercselich, dici debet: hunc quoque eodem vitio laborasse; ipse enim fatetur, defectum Chartarum Geographicarum, et aliorum mediorum, uti et regularum pro discernendis veris a falsis Diplomatibus, quod etiam facto prodidit, dum S. Stephanum Ducem Slavoniae Croaticae fecisset, indubie cum Stephano Croatarum Duce confundendo, prout et Emericum ejus filium, quasi etiam in Hungaria Sla-

Digitized by Google

vonia non haberetur, prout id recognoscit vel articulus 34. 1494. Et alibi etiam fide Tui Dipl. sub 2. LVI. Castrum Vesprimense expugnari fecimus, et totam illam Slavoniam liberavimus an. 1491. Quin et Reges Hungariae ante S. Stephanum praeexstitisse. Illi suflecerat istud to: Rex alicui Duci per aliquem datum legisse, prout et aliis id accidit, qui post nudas solum voces in scartecis repertas saltitant; haud tamen eo negato, quod hic propter sacram coronam primus fuerit. Ita quoque ex Henrico Conradi filio ob solam similitudinem statim detorsit ad Emericum S. Stephani filium atque ideo per fas, et nefas dedit huic pro Educatore, rejecto S. Gerardo, Eigelbertum Frisigensem Episcopum qui Henrici Conradi Caesaris filii Educator fuisse scitur. Fecit etiam S. Emericum per omnia, nihil reflectendo ad ejus temporis circumstantias, generum etiam Kresimiri. Ita unus error producit centum alios. Non secus quanta de Radonis Palatini bellis, et aedificationibus, Bellae Slavoniae Croaticae Ducatu, nomine Alberti, indubie quia vidit alicubi Ducem utique militiae Marchionem Austriacum hujus nominis fuisse. Nec non de limitibus Dioecesis Quinque-Ecclesiensis, ac innumeris aliis, propter quae a Critices, et Geographiae gnaris non nisi ignominiam passus est, et hodiedum patitur. Unde Mikoci in opere suo p. 433 justis de causis se illi difidisse exprimit. Quia tamen lecturae ac diligentiae magnae fuit, prudenti Lectori non est inutilis de factis sui aevi, quibus aut ipse intererat, aut a Coaevis conscripta legerat, quae autem de suo addidit, non fides historica est, sed opinio hominis utique liberae Crisi obnoxia.

Ad §. 14. Verum haud est, doctissimos Katona, Koller, et Madarassi in sententiam Anonymi ex toto ivisse, cum contrarium doceatur in Responsis ad §§. 10. et 11. Et dato non concesso ivissent, tantum probant, quantum et is relate ad facta seculorum 9. et 10. cum non a copia Scriptorum, verum ab authoritate fontium veritas historica pendeat.

Digitized by Google

Ad §. 15. Quantum ad sublime illud D. Disquirentis argumentum! quod ab Hungaris, rebus eorum integris inter continuas vicinarum Provinciarum depopulationes, Croatis parci non potuisset, et ideo hi Regno Hungariae temporibus Arpadi, et Zoltani obnoxii perseverasse argui debeant. Ita quia a posse ad esse secundum omnem Logicam etiam in contingentibus stat conclusio? Quid etiam Pacinacitis ab Hungaris parsum non fuerat? Et aliis posteaquam forti manu a depraedationibus repulsi fuissent. Ita fit cum humanis, sicut accidit cum elementis: Post Nubila Phoebus. Semel bene concussi libenter quievere. Quid si Svatoplucus mortuus non fuisset, et filii sui a fatis ejus orto dissidio et bello civili, ut Porph. C. 41. asseverat, per discordias semet ipsi non destruxissent, et plebs respective turbarum pertaesa, cum habitis Dominis pro solito non contenta, novitatum amans, et spoliorum avida illos non juvisset, quid etiam Moravicas partes occupassent, ac retinuissent? Sicut advertit Daniel Cornides p. 62. Liberati ab his oppressoribus Slavi, sponte se Imperio Bulgarici Ducis Salani subtraxerunt, et Almo Pannoniam ingredienti subjecerunt juxta Belae Notarium C. 12. Grati pro hac subjectione Hungari firmam cum Slavis iniverunt amicitiam adeo quidem, ut Slavi in omnium bellorum, et praedarum societatem adsciscerentur, utque iidem Slavi barbam suam hungarico modo tonderent, quemadmodum Bavarorum praelati, et nobiles data ad Joannem 9 epistola queruntur. Sed et quid primi Hungari ita imprudentes supponi possent, ut manus hominum respectu tantorum hostium, dum cum divitibus Germanis, ac opulentis Italis bella gesserunt, a tergo fortem inimicum, et cum Hungaricis etiam Slavis nexum habentem offendere ivissent? Ideo Katona supracitatus p. 133. generosos Croatas Hungaris conjunctissimos cum his, sicut teste Porph. C. 30. cum Belocroatis affinitatem, et amicitiam contraxisse. Qui Chrobati, teste Mikoci p. 61. suo et periculo, et sumptu, quin aere vel milite ab Heraclio juvarentur, cum Avaribus

Digitized by Google

bellum gesserunt, confeceruntque. Et si Croatici Reges se ordine excipiebant, quando istud tempus fuisset, ut Hungari totam Croatiam usque ad mare Adriaticum occupassent. Et si S. Stephanus, S. Ladislaus, et Colomanus praeclari, et jam stabiliti Reges, et secus potentes et fortes non fidebant sibi Croatas simpliciter aggredi; sed cum his in pace, et amicitia feliciter vivere, aut amice tractare praeelegerant, quanto minus sub Arpado et Zulta illis incidere potuisset, quid similis cum vicina Slavica Gente, cum popularibus eorum tantum nexa tentare: Figmenta proinde haec Anonymi prorsus nullum vel prudenter conceptibile fundamentum habent. Quanto autem ratio suppositi prudentior? quod plane perseverassent obnoxii, cum adhuc nec a procul credibile indicatum, quod vel aliquando evaserint. Itane, quia Croatiae, ac Dalmatiae Reges in suis titulis ab Imperatoribus seu orientis, seu occidentis compellandis diutius abstinuerant, jam ideo Hungaris subjici debuissent? Ergo quando Ducibus aut Regibus Hungarorum compellandis in titulis suis incubuerunt? Si enim inde concludis: Croatas et Dalmatas sub clientella Romanorum fuisse, quia suis publicis instrumentis axioma horum praemittebant; quid non e contrario dici deberet, eos Hungaris nunquam obnoxios fuisse, quia nullum documentum produci potest, ubi vel aliquando Hungarorum axioma suis Instrumentis praemisissent? Ast armorum eorundem Hungarorum fortuna inclinante Dalmatae et Croatae ab eorum clientella descivisse arguuntur, et quidem e Constantino Porphir. et plane C. 42, ubi eatenus nec vocula est. Sed citata verba: Confines autem Turcis sunt ad occidentem Franci, ad meridiem Croati leguntur. C. 40. E quibus unus e Croatis in Responso ad §. 12 jam ostendit desideratos Croatas eotum recte in Sirmiensibus plagis, vel in Servia esse debuisse. Croatas etiam eos, qui inclinante fortuna Hungarorum hos deseruerant, fuisse Croatas, aut Slavos Dalemincios, Dalmatas Germaniae ad Saxoniam, et Bohemiam spectantes, et non Illyrios, quod innuit Georgius Pray

Digitized by Google

A. V. p. 354 et 355, et in Responso ad §. 9. remonstratum est. Nec proinde Croatae Hungaris obnoxii fuerant usque A. 950. cum Constantinus Porph. in sua Historia nec vocu-lam eatenus habeat; Gebhardi autem Part. III. p. 548 sub nota ad annum 948 expresse habet: »Auch grenzte Bulgarien östlich an der Donau mit den Hungarn, die damals Slavonien noch nicht besassen.« Sed nec usque annum 1000 quod Diplomata etiam per Disquirentem hic citata plene confirmant: Incarnationis D. A. 986. Jud. 14. die 14. Mensis Decembris Imperatoribus Dominis piissimis, et perpetuis Augustis Basilio Constantino a Deo coronato magnis Imp. apud Civitatem Jaderae V. C. D. T. 8. V. 4. p. 26. Et Dircislaus (Dàržislav) teste Thoma Archidiacono in Historia Salon. C. 16. usus est hoc axiomate: In Christi nomine Amen. Anno nativitatis ejusdem D. N. J. Ch. M. Indictione 13. regnantibus DD. NN. Basilio et Constantino Magnis Imperatoribus, in Regno Croatiae gubernante Domino Dircislao inclito Rege C. D. e. T. 7. p. 57.

Ad §. 16. Quam inscite Slavoniam Croaticam Hungariae unitam plane diutius perstitisse ex Porph. praetendat, remonstratum per Responsa ad §§. 12. et 15. Et si Slavonii inter Hungaros, et Croatas medii suo sensu fuissent, nec ad Hungaros, nec ad Croatas pertinuissent, atque ita Croatae Hungaris tempore Porphirogeniti ad meridiem non fuissent. Dein D. Disquirens! Schönleben Annalium suorum Carnioliae antiquae et novae Parte III. p. 492 habet: *Uncranos non credo fuisse omnes Carniolos, sed partem inferioris Carnioliae incolentes, quos modo nominamus Unter-Crainer.* Quomodo ergo hoc cohaeret; quod Uncrani Slavi explicari nequirent, nisi vel ab Ungaris, quibus paruerant, vel ab Unna fluvio? Qui tamen ab Unna fluvio ingentibus spatiis sunt disjuncti, et Uncrani teste domestico Scriptore *Unter-Krainer* sunt. Sed quos Slavos hostiliter invasisset, vicisset, sibique Tributarios fecisset Henricus Auceps? Ita Geographia est etiam unus Hi-

Digitized by Google

storiae oculus. Si vult plura bella Henrici Aucupis cum Slavis scire, relegatur ad citatas Pray paginas, et Farlatum T. I. p. 118, qui hic ex Schönlebio habet: Caesar Henricus Auceps Dalmatas debellat, et sibi tributarios facit. Slavi et Vindi, qui defecerant per legatos, se iterum submittunt. Hungari visa Dalmatarum fortuna vice versa invadunt Moraviam, Bohemiam et Saxoniam rapinis, caedibus, incendiis omnia profanantes, quos Henricus cum suis occurrens dissipat, et partim caedit, partim in fugam vertit. Quod de Illyricis Dalmatis ne suspicari quidem licet, quippe, ait, qui ab illis regionibus longe gentium aberant. Sed et manifesta contradictio in eodem hoc §. videtur: quod quia Slavonia per Francos ab Hungaria avulsa fuisset, Proto-Rex Stephanus nec Episcopatum constituerit, nec Episcopatus limites ad hanc extenderit; et mox sequenti §. priorum ignarus sustineat, Episcopatus Quinque-Ecclesiensis et (non jam Colocensis sed) Bačiensis ad Slavoniam tenore quarumpiam Stephanearum Fundationum limites tantos extenderit, ut si adhuc magister Kercselich audiatur, vix unus in Hungaria mansisset. Hoc unicum vere dicit, quod cum Episcopatus Tiniensis ambitus Dravum usque teste Thoma Archidiacono extensus fuerit, Slavoniam hanc Croatiae unitam fuisse, adeoque nec Francicam nec Hungaricam, sed realiter Croaticam fuisse. Idque tanto magis, quod ipse Disquirens recognoscat, se ignorare: a quo, quando, et quomodo ad Croatiam rediisset, si Hungarica vel aliquando fuisset. Adeoque secundum Polybium totum assertum res ludicra.

Ad §. 17. Hic Disquirens cum Slavoniam Croaticam se vindicasse ipse recte dubitet; adminus Bulgaricam sibi appropriare quaerit. Et ideo quamvis figmentum Slavoniae Bulgaricae, si Saviam intelligit, jam in Responso ad §. 7. explosum sit, et Disquirens si sibi Tibiscana Bulgaria non sufficit ad Portam Ottomanicam, sub cujus Jurisdictione Slavonia Bulgarica est, relegari posset; cum tamen hic de Vereu-

Digitized by Google

ca fluvio, ad quem *Botond* sepultus exstitisset, mentio occurrat, et haec per Disquirentem erronee teneatur solum in inferiori Slavonia esse, juvat hic Historicum citati Anonymi factum ad propriam ejus Geographiam reducere: Hic C. 33. ubi de Castro Neograd et Nitra loquitur, sic habet: Vereuca fluvius in laeva Danubii parte, Veröcze in Comitatu Neugradiensi Pagus.« Ergo non in Dravi plane dextera parte. Quamvis etiam ad aliam Verucam sepeliri potuisset, si Pray in Ann. V. p. 367. auditur. Hunc Botond e praelio Augustano ad propria Domum rediisse magnopere in dubium vocat ita scribens: »*Itaque hunc Botond tertium illum regulum fuisse mihi persvadeo, qui cum Bolosude, et Leelo captus ad restem quoque damnatus sit. Si enim hic tertium locum non occupet, fateor ignorare me, qui tertius ille regulus sive Dux fuerit eadem qua Leelus morte ad Augustam exstinctus.*« Mirus proinde morbus potuisset fuisse restis, et fluvius aut arx Veruca et alibi inveniri posset. Talibus proinde levibus argumentis Croatae e reali possessorio inferioris Slavoniae excuti possentne? Erudite ac Perdocte! Sed etiam vel solum si dubia essent, historicus cum talibus prodire non auderet, cum apud veros Philosophos in dubio judicium suspendendum sit, et non temere scribendum.

Quantum vero ad praetensum Porphirogeniti Tuum Testimonium: »*Et habitant quidem Turci etiam ulterius infra Danubium, et Savum.*« Possibile amice! infra tuum Danubium et Savum, cum intra hos fluvios nemo eos adhuc eotum viderit, et ipse Porph. e Thessalonica illis cis Danubium et trans Savum locum nullibi dederit, imo Sirmium ad initia Turciae juxta Istrum flumen e parte Thessalonicae posuerit. Et Tu ipse Cod. Dipl. T. I. p. Croatas ex oris maritimis ad Dravum usque, ac Charinthiam inclinante Graecorum in occidente imperio potestatis suae limites protulisse sustines. Cum interim in misera Saba constanter vesane insultando equite-

Digitized by Google

tur, et eadem unice Savus Croaticus esse praetendatur, eatenus eruditorum sensa etiam hoc in opere repetentur.

Et primus sit amatus Kercselich. Hic in Noti: prael. Parte I. Pann. V. p. 22. ita habet: »*Sunt quoque affinis nominis tres fluvii nempe Savus, qui accepto ad Sisciam Colapi atque ad Essekinum Dravo, demum ad Belgradum e Danubio recipitur. Saana infra Cileam ad Savum influens Sao antiquioribus, Savona posterioribus circa Kermendinum.*« Plinius ipse: »*Insula in Sao Metabaris amnicarum maxima.*« Horum amnium, ut observo, confusio haud exiguum cognoscendae Pannoniae Saviae facit difficultatem, habuitque aetate subsequa suas Epochas etiam... Si hoc vides, quam nosse oporteat epochas temporum ad Scriptores intelligendos, et interpretandos. Discipuli ergo error, Magistri culpa non est. Secundus Joannes de Jordan app. Geogr. Sectione 24. No. 398. Ptolomaeus intelligit Dravum fluvium, quem ipse Darum vocat, a Barbaris autem Dara vocari dicit, rectius autem Draum, et Drava dixisset. Fluvius alter, qui hic Savarias nuncupatur, Mur fluvius necessario est; nomina enim fluviorum etiam in aliis Scriptoribus quandoque variant, et nomen Sava pluribus fluviis commune olim fuit. Sicut Lafnitz, qui in Arabonem in Styria influit, fluvius hodie adhuc Sava vocatur. Igitur Corrudunum est hodierna Civitas Legrad; ibi enim Dravus in Ptolomaei idea fluvios versus fontes respiciente scinditur, et alveus, qui situm versus fontes semper meridionaliorem respectu Muri servat, nomen Dravi retinet; alter autem in Septentrionem magis tendens Mur audit. — Tertius Lazius Com. Reip. Rom. L. 12. et Cluverius Vint, et Norici dicunt: Muream a Mureola nominari, quam Ptolomaeus Savariam vocasse videtur. Lazius p. 967 plures fluvios eodem nomine Savar vocitat ita scribens: »Savaria triplici, quorum alter hodie Muream Stiriae veteris municipii ad rippam quondam ejus positi hoc est Mureolae memoriam vocant. Alterum vero in hunc usque diem Saanam Cilienses appellant.

Digitized by Google

Tertium autem Sabariam praeterfluere D. Quirini historia docet, quem hodie Gynsium appellant, ut verosimile est, omnes minores fluvios ejus Provinciae Savarias a nomine Provinciae nominatos.« Apud Schvandtner T. I. p. 847. Georgius Vernherus: »Pannoniae autem appellatione non eam tantum comprehendo Danubii rippam, cum qua ea, quae dicta est secunda Pannonia ab Arabone fluvio, qui Ptolomaeo est Narabo, nunc vulgo Raba ad Savum excurrit. Sed quidquid praeterea Hungari in altera Danubii parte tenent.« Quartus Schönleben ap. Carn. C. 5. §. 7. p. 171. »Savarias fluvius Norici, et Pannoniae, qui hodie Mura dicitur.« Plura apud Bedekovich Ord. S. Pauli Eremitae Definitorem Generalem, Scriptorem fide dignis testimoniis acutum, in opere: Natale solum S. Hieronymi p. 196. et 197.

Ipse quoque Samuel Timon I. a. H. p. 20. »Fluvius Sabariensis in Arabonem. Savarias autem Ptolomaei in Dravum fertur, et p. 32. Dravus et Mura sive Savarias.« Ita quoque Belius in Historia Sua Sabariae per fluvium Savam, non flumen Savum, sed Salam intelligendum esse dicit, prout in Schematismo Episcopatus Nitriensis 1835. p. 48. habetur. Quid quod in Mappis antiquis, ac in specie Mappa ultimi folii in libro sub titulo: Attlante novissimo illustrato, ed accresciuto sulle asservazioni, et scoperte fotte dai piu celebri, et piu recenti Geographi T. 4. Auxilium ab Alto, plus pressa, plus surgit in Venezia 1785. presso Antonio Zatta con Privilegio del Excell. Senato: »*Mura seu Sabaria fluvius.*« Et Hunius M. Salisb. T. 3. p. 6. Gebhardus Comes Svevus Helfenstein 1061 factus Archi-Episcopus Salisburgensis ab Henrico 4. Imperatore, cujus Scriba fuit, durantibus litibus inter Gregorium 7. et Imperatorem Henricum exulavit. Interim Hungariae magna pars, quae ad Episcopatum Juvaviensem pertinebat, est abalienata usque hodiernam diem; nam antea fines Dioecesis Salisburgensis erant: ubi Dravus influit Savum (Muram). Imo ipse Koller et Salagius volunt

Digitized by Google

illud, quod in Annalibus Fuldensibus de Braslavone legitur, qui Regnum intra Dravum et Savam tenuit, legendum: »intra Dravum et Salam flumina.« Et Martinus Schwartner: Statistik des K. Ung. 1. Theil. §. 17.: »der Platten-See (lacus Balaton) zwischen dem Raab- und Sau-Fluss.« Quod etiam concordat cum sententia Conradi Szvartz: Notitia Orbis antiqui in Mappa ad p. 437. e Christophoro Cellario. Et alveo lapideo, de quo anonymus Belae R. N. C. 52. »Savarias fluvius Norici et Pannoniae, qui hodie Mura dicitur. Ortelius advertit, quod apud nullum antiquum scriptorem reperiatur nominatus Savarias, praeterquam in quibusdam exemplaribus Ptolomaei latinis. In Graecis vero legi Savum, non Savariam.« Joannes Ludovicus Schönleben p. 171 et ultro plura de Savo clarificata. Et Edmundus L. B. a Brabeck anno 1745. mense Sept. Viennae in Genealogia Comitum Cilejae pag. I. vocabulum Sana vel Saana contractum fuerit e Slavico Savina id est Savus minor; in Savum enim se effundit Sana; plane uti alter Cilejani agri fluvius Dran vel Draen vulgo dictus Slavis Dravina, seu parvus Dravus vocatur, quod se in Dravum exoneret. Hanc de Savinae, ac Dravinae etymologia Cl. Popovicsio Cilejano me debere profiteor. Et Steph. Katona: »Examen V. M. Moraviae situs« falsum esse evicit: Moraviam intra Savum et Danubium fuisse. Carolus du Fresne C. 1. §. 9. p. 3. habet: »Pannonia universa Illyrico Magno equidem asserta fuerat, quia tamen aetate media majorem ejus partem Hungari in potestatem suam redegerant, eam autem Regionem, quae Savo, atque Dravo amnibus clauditur, Slabinis reliquerant, factum est, ut propter Gentium Slavonicarum conjunctionem sola Pannonia Savia, Savo et Dravo amnibus terminata, Illyrico Magno adnumerata fuerit. Incolebant eam antiquitus Amantani, Tergestani, Colapiani, apud quos aetate demum Romana florebant: Mursa, Carnucum, Cuuium, Bononia, Acimincum, Ricium, Taurunum, Sigidunum, Syrmium, Budalia, Metubaris Insula, Almus mons,

Digitized by Google

Cibali Ulmi etc. Jam ubi ista Loca? an non in Slavonia inferiori? Adeoque in subversantibus rerum circumstantiis ea Porph. verba: »*Habitant trans Danubium flumen in terra Moraviae atque etiam ulterius intra Danubium et Sabam fluvios*« ad Savum Croaticum referri non possunt, sed ad eas partes, ubi plures fluvii affinis nominis Saba, Sao. Savarias, Sala, Savana reperiuntur. Idque eo magis, quod Savus Croaticus a quibusdam scriptoribus aqua nigra compellaretur. Ita Jornand. rerum Get. c. 51. Valimir inter Scarniungam, et aquam nigram fluvios... manebat. In quem locum Prayus An. V. H. p 178. Scarniungae, et aquae nigrae nomine sine dubio Sauum Drauumque fluvios Jornandes intelligit. Et ipse Disquirens in suo hoc opere p. 82 hunc fluvium etiam Danubium compellat. Ergo non solus fluvius Croaticus Savus est Sava, sive Saba; sed plures etiam alii e parte Thessalonicae trans Danubium siti: consequenter ultra iterato Danubium in regula procedendum non est, ut Porphirogeniti Saba fluvius sciatur. Quantum ad Fundationales Stephaneas, et rectificatorias Ladislajanas Episcopatus Quinque-Ecclesiensis, ac Desiderium non Bacsiensem, sicut interpollatur; verum Colocensem, prout Diploma sonat, cum eotum adhuc hi Episcopatus distincti fuisse serventur, fluviumque Kvarok ad evitandas unius ejusdem rei continuas potissimum repetitiones advertetur in Responso ad § 42.

Ad §. 18. Hic Disquirens recognoscit Croatas utriusque Slavoniae anno 1010 Dominos fuisse, et anno 1019 eadem per Graecos exutos fuisse, et alibi a Graecis usque 1081 tentam exstitisse. Sic amabo si ita est, quid Hungari hinc lucrati sive dum Croatae, sive dum Graeci eam possedissent? Relate autem ad singulare subnexum ex praemissis Corollarium; sufficit dicere, quod allegata istud non evincant: primo cui Criticorum est indubitatum quaestionatum Diploma Stephaneum? An Joanni Christiano v. Engel, qui Geschichte des ungarischen Reichs. I. Th. 1813. p. 24.« Da Hartvicus

Digitized by Google

mehrere Klöster ausdrücklich nennet, welche vom Könige Stephan angelegt worden, so beeiferten sich diese alle Stiftbriefe von Stephan aufzuweisen; allein mehrere derselben sind grobe Erdichtungen, z. E. das griechische Diplom für das Nonnenkloster zu Vesprim, welches von der Abgabe des Neunten spricht, die vor Ludwig I. gar nicht gebräuchlich gewesen. Oder das Diplom für Fünfkirchen vom Jahre 1009 pio Stephano regnante anno nono. Nicht eine einzige von allen diesen Urkunden ist über alle Zweifel erhoben.« Sed et cum Originale non exstet, exemplaria vero hucusque producta et quoad contextum, et quoad nomina limitum inibi expositorum sibi contradicant, quis in eo conquiescere posset? Ita enim teste Spanyik p. 74. Inchofferianum haberet: quemadmodum habui potestatem, ut ubicunque, seu quibuscunque in locis Ecclesias, et monasteria construerem; ita nihilominus ab eodem Romanae Sedis Supremo Pontifice habui authoritatem, ut quibus vellem Ecclesiis seu monasteriis libertates, et dignitates conferrem. Qua verborum forma utitur quoque in monasterio de Bachonbeel. De his autem opus D. Disquirentis nihil habet. Atque vel inde non potest non credi suspectum esse, quoad alia, et praesertim limites Episcopatus Quinque-Ecclesiensis alibi. Sed et Andreas II. in confirmatione Privilegiorum Ecclesiae Quinque-Ecclesiensis expresse ait: »*Quoniam ultra Dravi fluvium limes, seu terminus Quinque-Ecclesiensis Ecclesiae nondum fuerat stabilitus, cum S. Rex Ladislaus primus transierit Dravae fluvium, et partes sibi Slavonicas Regno primum occupavit.*« Adjecto huic privilegiali Instrumento ad petitum Episcopi compillato, et per utramque partem recognito, certo plus credendum erit, quam alicui apocrypho Instrumento S. Stephano supposito. Sed et in alio Diplomate Episcopo, et Capitulo Zagrabiensi an. 1217 dato Idem Rex Andreas dicit: »*A S. Ladislao Rege SSmae recordationis Praedecessore nostro constructum, qui terram Slavoniae sive Banatum ab errore Idololatriae ad Chri-*

Digitized by Google

stianitatem convertens Coronae Hungariae subjugavit, qui etiam in eodem Banatu Episcopatum instituit. — Dein Farlati. T. 5. p. 331 ita loquitur: »*Post exstinctos Reges Croatiae, quorum imperio suberat haec Civitas Zagrabia .... cum tota Pannonia Savia ab Slavis Slavoniae nomen mutuata sub dominatum Regum Hungariae concessit. Ladislaus Rex Hungariae ... cum exercitu Dravum transgressus Slavoniam omnem, et partem Croatiae mediterraneae, quam in Dalmatia Crobati obtinebant, ad Regnum Hungariae adjunxit anno Christi* 1091, *uti declarant Tabula Mariani Jadrensis ... sub Imperio Regum Hungariae Slavonia omnis est divisa in partes octo, quos Comitatus vocant. Singulis praeest Comes seu Vice-Banus. Principem inter omnes locum dignitatis et excellentiae tenet Comitatus Zagrabiensis, vergens ad meridiem, ab Urbe totius Slavoniae primaria denominatus, cujus jurisdictio ultra et citra Savum protenditur. Reliqui septem Comitatus hi sunt: ab occasu Zagoriensis, cis ultraque Dravum porectus Varasdinensis, Crisiensis. Ab oriente Verucensis, Valponensis, Syrmiensis, intermedius est Posegaanus.*« — Bielek in sua Statistica P. I. p. 5. »Seine (des H. Ladislaus) glückliche Kriege erweitern das ungarische Reich durch Siebenbürgen, durch Sirmien, und einen Theil von Dalmatien und Croatien 1088. — Dr. Joan. Joseph. Ignat. *Döllinger* in suo opere: »Lehrbuch der Kirchengeschichte I. Band. Regensburg und Landshut 1836. Das erste slavische Volk, welches christliche Religion, und zwar freiwillig annahm, waren die Kroaten, welche zur Zeit des Kaisers Heraclius nach ihrem Auszuge aus Polen, oder Südrussland das Land zwischen dem adriatischen Meere und der Donau und Sau eingenommen hatten.« Et Author Chronicae Croaticae apud Kercselich in Not. Prael. Pan. V. Parte IV. p. 43. sequentia habet: »Anno 640 advenientes trans Bebiis montibus Croatae primum in Dalmatiam, et hodiernae Croatiae, Slavoniaeque partes, et post multa bella expulsis Abaris hic sedes fixerunt ... ab illis Dalmatia, quae a Mari ad Muram et Danubium

Digitized by Google

pertingebat, Croatiae Nomen accepit, et in hodiernam diem conservat. Et Thomas Archidiaconus Spalatensis ad A. 970. apud Lucium his verbis eotum fines Croatiae determinavit: »*Habebant namque Reges Croatiae ex successione suae originis Patrum et Proavorum dominium Dalmatiae, et Croatiae, istaque Regni eorum confinia: Ab Aquilone vero a ripa Danubii usque Mare Dalmaticum cum tota Maronia, et Culmiae Ducatu.*« Et ipse Porph. C. 30. »*Quamobrem de Dalmatia scire cupientibus, quomodo a Sclavicis Nationibus capta fuerit, hinc discere licet; sed primo situs ejus narrandus est: Antiquitus igitur Dalmatia incipiebat a confiniis Dyrrachii sive ab Antibari, et ad Istriae montes pertingebat, in latitudine vero ad Danubium flumen se extendebat: eratque omnis ille finitimus tractus sub Romanorum potestate.... Sed ad Slavos pervenit hoc modo .... vicerunt Chrobati ... atque ex eo tempore a Chrobatis possessa haec Regio fait.... Caeteri vero Chrobati versus Franciam commorabantur.*« Chrobati proinde, qui ad Dalmatiam venerant, jam a septimo seculo hanc totam Regionem usque tempora Ladislajana et Colomaniana sua virtute defendebant, injurias autem, ac debilitatem experti ad evictionem jus cedentium, et auxilium suorum Confoederatorum, aut Protectorum confugiebant. Cumque nuspiam legantur aliquando ad aliquem pro auxilio, et protectione contra Turcas, seu Hungaros recurrisse, nec per ullum factum alicujus ab his dependentiae signum dedisse, adeoque nec tempus quando, nec titulus quo, nec modus qualiter vel tota, vel quaepiam etiam inde minima particula aliquo sensu avulsa, Hungariae incorporata, et inde iterato recepta, et cum Croatia denuo conjuncta fuisset. Omnia itaque D. Disquirentis asserta in Crisi Polybii ludicra sunt. Quantum ad Cinnamum, qui eo tempore historiam suam conscripsisset, quo in Sirmiensi Regione Graecos inter et Hungaros bellum fuerat, cum hic 12 seculo suam historiam scripserit, quaestionatum bellum pro-

Digitized by Google

inde ad priora secula retrahi recto ordine nequit. Chronologia est etiam unus historiae oculus.

Ad §. 19. Hic D. Disquirens praetendit jacturam quampiam, quam nuspiam remonstravit, reparasse Adalbertum quempiam fratrem Andreae, qui Belice (Belovar) nomen quapiam mira litterarum commixitione, aut potius terrarum fictione dedisset, et Slavoniae non exprimitur: cujus? an Szombathelensis, vel Vesprimiensis, aut plane interamnensis Dux fuisset. — Totum Chronologice; teste Statistica Hitzingeriana de Conf. II. Theil p. 420. primum anno 1750 Belovarinum Croaticum initium cepit. Aut ut ipse Magister Kercselich p. 448 loquitur: »*Postquam an.* 1756. *Bellovarinum erigi inchoasset, suprema administratio, consequenter Generales caeterique, ut vocant, Stabales Bellovarinum concessere:*« adeoque Seculo 18. ex Seculo 11. ab Adalberto Belicza et Bellovar nomen accipere debuisset, et Belicza Insulae Muraköz, et Bellovarinum recte Croaticum, et quod ex ipsis? cum Bellovar in Croatia tria adsint, et nullum specificetur. Et cur non potius Hungarica Belovar, quorum tamen unum in Simegiensi Comitatu, et aliud in Jaurinensi esse Mappae Geographicae monstrant, et Ludovicus Nagy T. I. docet; nisi per omnes albas arces nomen Alberti fratris Andreae, quem procusum Radonis Diploma taliter baptisat, aut quia cum Adalberto Marchione Austriae, qui eodem tempore cum Bela noto fratre Andreae confligebat, in Confirmatione hoc nomen ei tribuit. Et cujus Slavoniae Dux fuit? an Croaticae? aut art. 34. 1498 designatae? aut ubi Vesprimium utique intra Danubium, ac Dravum secundum Fejérianum Diploma sub 2. LVI. ubi legitur: »*Castrum Vesprinense expugnari fecimus, et totam illam Slavoniam liberavimus an.* 1491.« Sed testamentaria Dispositio Radonis Palatini, et Confirmatio Andreae rem plane evincent. Itaque videamus Diploma istud primo in suis tenoribus; legitur in eo: »*Ut si ipsa* (uxor Lucia) *supervixisset, testis hujus facti apud Deum, et homines exstitis-*

Digitized by Google

set.« Et post dotationem: »*Omnes vero alias possessiones meas Orphanis cognatis meis cum Lucia uxore mea, ut quamdiu illa supervixerit, interim de illis vivat, et post suam mortem remaneant Orphanis nostris.*« Jam stante contextu: Lucia uxor Radonis eo tempore mortua fuisset, et vixisset, quod cum implicet, Diploma istud suspectum non esse non potest. Praetendit quidem D. Disquirens §. 72. prioris textus linguae latinae peritis eum sensum esse: ut Lucia uxor, si supervixeret, testis apud Deum, et homines existeret. Croatae tamen non possunt capacitari, alium sensum exsculpi posse, sive in optativo, sive in conjunctivo summatur: Vivere et existere. In quam sententiam abire videtur etiam Jesuita Nic. *Schmitth,* dum in Libro suo Eppi. Agrienses, Part. I. p. 27. sequens verbum substituit: »*Ut si ipsa supervenisset, testis hujus facti apud Deum, et homines exstitisset.*« Est quidem verum, quod aliquid substituere, quod in originali non est, haud liceat. Sed bonus Schmitth indubie scit originale non existere, nec proinde metuit eatenus argui. Adminimum linguae latinae gnaris persvadendo esset, quod nempe ipse forte non credidit. Dein Chronologiçe: Hoc in opere Tu dicis: Anno Incarnationis Dominicae MLVI. Secundo Nonas Junii Indictione X. per Regem Andream Regni sui anno XII. confirmata. Et in Codice Tuo Dipl. T. I. p. 397. legitur: »*Datum Secundo Nonas Junii Indictione decima Anno Incarnationis Domini Millesimo quinquagesimo septimo, Regni nostri anno duodecimo.*« Quod ergo genuinum in citatis disparibus annis, ac tenoribus? Demus utrumque, per etiam inpossibile, genuinum esse. Quid Indictio decima secundo Nonas Junii conveniet et anno 1056 sicut et 1057? et sive assumatur annus hic, sive ille, semper prodibit Regni Andreae duodecimus? Est certe singularis haec ultra Constantinopolitanam, Constantinianam, Caesareanam, Pontificiam, et Romanam Indictiones Fejeriana, et concordantia discrepantium tenorum. Verum parcendum Tibi. Malus Magister Kercselich Te decepit. Sed

Digitized by Google

nec ulterius Magistri *Koller* Annus Te salvat, quamcunque Indictionem sumpseris. Vass. T. I. p. 53. Triplex Indictio distingui debet: Constantinopolitana seu Graeca ita dicta, quod eam Imperatores Constantinopolitani et alii Graeci usurparent. Haec a Calendis Septembris initium sumit. Caesarea, quod ea Imperatores in occidente uterentur. Haec ab 8. Calend. Octobris seu 24. Septemb. incipit. Eadem etiam Constantiniana appellatur. Demum Romana seu Pontificia ita vocata, quod in Diplomatibus Pontificiis adhiberetur. Haec a Calendis Jan. post Septembrem, a quo priores Indictiones ineunt, sequentibus progreditur. Vel ut M. ille Chrisostomus Novak p. 73. habet: »*Triplicem esse Indictionem; Constantinopolitanam nimirum, quae a Kalendis Septembris; Constantinianam, et Caesaream, quae ab Octavo Kal. Octobris; et Pontificiam, seu Romanam, quae a Kal. Januarii incipit, omnes norunt. Varium apud varios earum fuisse usum; sed apud Germanos Caesares Constantinianam ab octava Kal. Octobris semper obtinuisse, quae etiam ideo Caesarea adpellata est, docet Mabill. lib. II. de re Dipl. Cap. 24. S. Stephanus Decret. lib. II. §. in pp. dum legem condit, antiquos et modernos Augustos imitatur, cur eosdem, dum Indictionem Diplomati adscribit, non sequatur? Ex Caesarea autem Indictione in annum MI. incidit, et XIV. Sed jam 23 Septembris terminata, et XV. sed vigesima quarta ejusdem mensis inchoata.*« Cum autem teste Biographia *Gerardi:* »*Hic ad aeternam beatitudinem transmigraverit in anno Domini* 1047.... *Sequenti autem die* 26 *Septembris* (qui est authumni) *in Ecclesia beatae Virginis in Pest... tumulatus est, Dux autem Endre in Alba coronatus.*« Jam modo calcules a 26 Septem. 1047 usque Tuum secundo Nonas Junii annos, et videbis, quem fefellerit calculus. Petrus *Ranzanus* p. 330 habet absque Indictione: »*Petro successit Andreas* 1047.« Ergo usque 1057 ordinarie non possunt 12 anni esse. Porro in Chronico Budensi per Joannem *Podhradezky* notis illustrato p. 114 Salamon legitur puerulus

Digitized by Google

duodecimo Regni Patris anno coronatus fuisse, et sub Nota ad secundum ponitur: id est anno 1059. Item: »*Andreas in Alt, und Neu Pannonia*« dicitur duodecim annis regnasse, mortuus autem scitur 1061. Itane annus 1056, 1057, 1059 et 1061 fuerat Andreae I. regiminis duodecimus? Ecce! exhinc videtur, num enervando esset istud Diploma Andreae II. illud testimonium, quod S. Ladislaus primus Dravum transierit, et Slavoniam S. Regni Coronae subjugaverit, prout in duobus illius Diplomatibus Ecclesiae Quinque-Ecclesiensi, et Zagrabiensi expeditis recognoscitur. Quid quod Adalbertus, si idem cum Bela est, praetensae occupationi nec intervenire potuisset cum Palatino Radone, quia si fides *Szentivany* Martino Societatis Jesu sacerdoti, qui apud Schmitth: Episcopi Agrienses Scriptor p. 41. rerum patriarum studiosissimus Investigator decantatur, Bela jam anno 1054 ad Poloniam fugisset, et ibidem usque annum 1059 mansisset; Rado autem ante annum 1055 Palatinus adhuc esse non poterat, quia hoc anno adhuc Palatinus *Zache* fuisse ex Fundationalibus Abbatiae de Tihan eodem anno expeditis docetur. Sed si etiam id qualitercunque accidisse fingi posset, hoc nullatenus fieri potuisset, nisi anno 1055 post subscriptas per *Zache* Fundationales Abbatiae Tihanensis, nec post secundo Nonas Junii 1057 dum Radonis Testamentum confirmatum fuisse praetenditur. Cum intra hoc tam exiguum tempus nec potuisset et bellum geri, multis bellicosis laboribus triumphus reportari, monasterium erigi, tam munifice dotari, fundationales cum secundo Nonas Junii elaborari, Confirmationi Regiae subjici, et per Andream in Comitiis tam mature confirmari. Sed quomodo potuisset Sirmium per Hungaros a Croatis recipi anno 1057 quod tenore proprii §. 18. anno 1019 ad manus Graecorum pervenerat, et vigore sequentis statim §. 20 itidem Disquirentis proprii in potestate Graecorum usque annum 1081 mansisset. *Mikoczi* otiorum Croatiae p. 422. »*Quamquam neque Croatis, neque Graecis Sirmium tem-*

Digitized by Google

pore hoc ademptum suspicari licet. Cum enim Sirmiensem provinciam labore bellico per Radonem Seculi XI. anno circiter sexto supra quinquagesimum receptam monumentum modo laudatum (Testamentum Radonis) prodat, intra ejusdem autem seculi priores sex et quinquaginta annos belli inter Hungaros, et Croatas, Graecosque gesti nulla sit usquam memoria, sane his, cum quibus bellum non fuerit, provincia adimi non potuit.« Sed nec congruit aliis circumstantiis, quod Rado hoc tempore vel bellum gerere potuisset seu cum Croatis seu cum Graecis, quod Hungaris cum Henrico III. adhuc eotum satis ad agendum fuerit; cum teste sepulcrali lapide apud Engel Henricus mortuus fuisset a. 1056. 9 Octobris. In istud tempus etiam incidit testimonium Joannis Laurentii in Berti Breviario Eccl. Hist. P. II. Bassani 1774 edito pag. 56: »*Arripuit autem tunc imperium Henricus III. filius ipsius Conradi..... qui imperavit usque ad a.* 1056 *diem vero* 7. *Octobris.*« Et fide ejusdem Engel T. I. pag. 155: »Zu Ende des Jahres 1058, und anfangs 1059 hatte Andreas eine Zusammenkunft mit der Reichsregentin Agnes, und dem minderjährigen Kaiser Heinrich an der March, und hier ward eine Heirath zwischen der Judita, Schwester des Kaisers und Tochter der Agnes, und zwischen dem damals nur achtjährigen Prinzen Salomon verabredet.« Quibus stantibus Hungari supposito tempore vix in notitiam de morte infensissimi hostis Henrici III. devenire potuissent, multo minus jam aliud bellum ab uno extremo ad aliud ratione Sirmii, quod in manibus Graecorum fuerat, cum Croatis, qui illud perdiderunt jam anno 1019, et usque a. 1081 recuperando non fuerant, gerere potuissent. Idque adhuc eo minus supponi possent eotum ad tam laboriosum, ut in Diplomate asseveratur, se resolvisse, cum ex remonstratis primo circa finem 1058, aut initium 1059 pax cum Henrico 4. filio Henrici III. facta fuisse videatur. Inde Gebhardi in »*Geschichte des Reichs Hungarn, und damit verbundenen Staaten.* III. Theil p. 415 in Nota sub r.

Digitized by Google

dicit: »Das von Palatin *Rado* eroberte Sirmische Gebiet kann nicht Sirmien selbst begriffen haben, weil dieses lange nach 1057 den Griechen gehörte, und gegen die Echtheit der Radonischen Urkunde selbst lässt sich noch vieles einwenden.« Et I. Theil. p. 458. »Sirmien blieb damals (1058) in der Gewalt des griechischen Kaisers, der sich sorgfältig bemühete diese Grenzfestung, und das ganze bulgarische Donauufer sehr wohl zu verwahren.« Ita quoque Johann Christian von Engel G. des Hung. Reichs 1813. I. Theil 155 in Nota sub stellula: »Das Diplom vom Jahre 1057 von Palatin *Radus*, der eine Kirche des heiligen Demetrius in Sirmien gebaut haben soll, ist mehr als verdächtig.« Et Samuel Timon J. a. H. 1762 p. 48. »D. Dimetrius illustris Christi miles, nescio quam conjunctionem cum Pannonia Sirmiensi habuerit? Sanguinem quidem eum Thessalonicae pro Christo profudisse res certissimis monumentis testata est. Sed quamobrem Rado Palatinus Hungariae circa annum CIↃLVII. in solo Tarsi (ubi usque adhuc vicus nomen Demetri retinet) dicaverit Deo aedem ad cultum ei adhibendum, non est positum in aperto. Nam Clamis ejus, propter quam venerationis erat Sirmiensibus et templum, quod excitasse quidam Leontius perhibetur, jam pridem perierant. Meminit Tarsi, et Leontii Consulis Teodorus Lector in collectaneis Imperatore Zenone. Ipsum quoque officium S. Demetrii inter festa Hungarica 26. Octobris fidem perhibet: Leontium Illyrici Praefectum ob recuperatam Thessalonicae, ubi corpus ejus jacebat, sanitatem, Magnificam Ecclesiam primum in Urbe eadem Thessalonicensi, dein vero Sirmii exstrui curasse.« Ergo non Radonem Palatinum Hungariae. Unde reipsa praetensae Fundationales Radonis horsum in oculis eruditorum prorsus inoperose applicantur etiam inde, quod in Dotationis tenoribus occurrat ultra fluvium Kopas, qui non in Sirmiensi, sed in Simegiensi Comitatu reperietur juxta Generalkarte von Ungarn, herausgegeben von H. F. A. Schrämbel 1790.— Quid quod et alia suspicionem movere possent.

Digitized by Google

Petitum nempe confirmationis, quod nec legale, nec operosum foret. Non primum, quod Decr. LII. C. 5. Steph. »Decrevimus regali nostra potentia, ut unusquisque habeat facultatem sua dividendi, tribuendi uxori, filiis, filiabusque, atque parentibus sive Ecclesiae, nec post ejus obitum quis hoc destruere audeat.« Et Parte I. Titulo 64 §. 2. operis Trip. habetur: »Ante enim ejus Principis (Divi Ludovici Regis) tempora quilibet Baro, Magnas, Nobilisque, et possessionatus Homo super juribus suis possessionariis (si etiam haeredibus defecisset) prout voluit sine omni consensu Regio liberam disponendi habuit facultatem.« Non secundum, quod omnes hujusmodi confirmationes relate ad alios privatos nihil operarentur, quod ruente casu quoque principali, rueret ceteroquin et accessorium. Sed et plura templa S. Demetrii in antiquis Mappis conspiciuntur in Sclavonia, et Hungaria. Ubi autem recte Radonis Palatini sit, si quod aedificavit, ultro quaerendum esset. Ecce vinci nescia veritas ultimatim prodit. Et Zettina quoque alibi quaerenda foret, quam in inferiori Slavonia. Forte ibi, ubi Kercselich Not. prael. Pannonia Vet. Period. II. Slavoniae et Croatiae p. 51. »A Septentrione, atque Oriente ultra Dravum (Zagrabiae scribendo) atque ad Sao fluvium, ac Rabam extensa fuisse deducitur Sclavonia, a Meridie Serviorum Regionibus, ac demum ab occasu ad Zettinam sive Cettinam, ita ut inferiorem, quam vocamus tam Carnioliam, quam et hodiernam Styriam in suo complexu Slavonia habuisse Saeculo hoc octavo deducatur.« Cettina est quidem limes Croatiae, et Slavoniae, seu Serviae, quae sub generali nomine Slavoniae etiam venisse scitur. Aut forte alibi quoque est Cettina sicut et amnis Kèrka. D. Podhradezky enim in Libro Chronicon Budense 110 habet. »Zelicza idem plane rivus est, qui aliter Zelyz vocabatur, hodie Kèrka aeque in Castriferrei Provincia scaturiens. — Secus si Rado totam Croatiam usque Tilurum occupasset, cum hic fluvius teste Porph. C. 30 respective initium, et respective

Digitized by Google

finis Crotiae, quid Rex Croatiae retinuisset? Sed potuisset esse etiam Zentha teste Bonbardi in Comitatu Bodrogiensi non procul a fluento Tibisco. Aut etiam eodem teste p. 214: »Zenta nomen tum fluvii, tum etiam Comitatus late porecti circa Albaniam.«

Ad §. 20. Sustines Sirmio, quod teste suo §. 18. Croatis per Graecos 1019 ademptum fuisset, et in manibus horum fide praesentis §. usque 1081 mansisset, per Hungaros tamen Ducibus Radone Palatino, et Adalberto praetensive Andreae I. fratre, ac Duce Slavoniae iterum a Croatis, qui illud necdum recepissent tenore §. 19. occupatum fuisse, et non scitur, quomodo profugum iterato paulo ante, teste eodem hoc §, quam Alexius Comnenus, atque ita ante a. 1081 cepissent. Singularis Chronographia! Quid non expedivisset legere suum Franciscum Kéri, qui in Historia sua Byzantina Tyrnaviae 1743 procusa p. 334. habet clarius: Bulgaros atqua Illyricos populos exactionibus vexatos circa a. 1073 arma in Graecos rursus corripuisse, eorumque Exercitum delevisse. Atque inde Scopiam, Nissam, Sirmium, et reliquas ejus orae Regiones sensim semet ab obsequio Imperatorum avulsisse. Convenire videtur et Lucius apud Joan. Georg. Schvandtner T. III. p. 133. qui habet: Regnum Croatorum inter Banos divisum fuisse usque ad Kresimirum Petrum. Quod quomodo in ipsum coaluerit, non appareret, cum haec secuta sint iis temporibus, quae Scriptoribus carent, et Scripturae rarae reperiantur apud Graecos, et Latinos Historicos. At cum idem Cresimirus in Privilegio 1069 testetur: *Igitur quia Deus omnipotens terra marique nostrum prolongavit Regnum:* Prolongatio Regni terrestris intelligenda videtur de partibus Croatiae citra et ultra Sauum positis, et in plures Banos divisis.. Maritima autem de Dalmatiae accessione omnino intelligi debet. Cum amplius apud Graecos Sirmiensis Praefecturae memoria non reperiatur, eam tunc in Serviae tumulatione per se, vel ipsis etiam Serviis auxiliantibus alicui ex Banis Croatiae se sub-

Digitized by Google

didisse, et deinde eundem Cresimirum terra prolongando Regnum in suam potestatem cum reliqua Croatia redegisse conjectari debet... Cresimirus Petrus ergo integrum Regnum consecutus Regium titulum non solum Croatiae assumpsit, sed etiam Dalmatiae addidit, et Patrem, Avum, et proavum Regio Nomine in Privilegiis prosecutus est.

Anno etiam 1073 Regem Cresimirum, et Zvonimirum Croatiae Banum fuisse probant Monialium Jadrensium tabulae. Cumque Zvonimirus, teste Kercselich p. 114., ad bellum Bulgaricum a Cresimiro dicatur missus fuisse, illique bellum cum Bulgaris saepe fuisse meminit etiam Diploma Colomani Martino Lopsanovich anno 1105 datum, ubi clare legitur. Avus hujus Radula Heros ternis vicibus Zvonimiri Regis Dalmatiae caput seu vitam conservasse, et quod ipse fuerit terror Bulgariae gentisque suae decus; qui septies et decies Bulgaros fudit, demumque fortissime cum dimicaret suo, et suorum septem fratrum sanguine Kosovo polje irrigavit, a Bulgaris caesus. Etiam apud Mikoczi p. 433. Unde de Sirmio stricte Slavonico seu Saviae per Hungaros capto neque ex Zonaro quidquam eruitur. Schvandtner T. III. in Lucio p. 152; Tininiensis Episcopi usque ad Dravum jurisdictionem pervenisse scilicet praeter Croatiam mediterraneam, interamnensem quoque Croatiam comprehendisse... Ideo ea, quae Volffgangus Lazius Coment. Reip. Rom. L. 12. C. 3. refert, de Sirmiensi Episcopatu a S. Stephano Rege Ungariae restituto vera esse non possunt; cum a supra relatis ex Cedreno constet, Sirmiensem Regionem, ejusdem Regis tempore, Graecis paruisse, ibiqae Graecorum Praefectum sedem habuisse. Ideo Lazium ex posterioribus Ungarici Regni finibus tempore quoque S. Stephani Regis, Regni terminos ultra Dravum extensos credidisse oportet; prout etiam relati Veneti Scriptores eadem de Andrea, et Salamone Regibus Ungariae referentes refutati fuerunt. Id quoque recognoscente Bombardi pag. 251.

Digitized by Google

Ad §. 21. Rectum habet D. Disquirens, Slavoniam Croaticam seu Saviam usque a. MXC. Regi Croatiae paruisse. Et Zvonimirum a. 1070—5 Regem Slavoniorum fuisse appellatum. Hoc proinde nihil novi. Illud solum posset esse aliquid novi, quod Zvonimiri uxor Lepa aliter Helena fuerit, apud eos, qui distinctas praetendunt. Sed

Ad §. 22. Illud aliquid novius, quod Slavoniam Croaticam, ac Croatiae Regnum S. Ladislaus Sacrae Hungariae revindicasset una testium universorum Sententia. Cum ipse D. Disquirens in eodem §. statim subjungat Chronicon Thuroczii: »*Ladislaus Rex victor honoratus, inclytus Augustus, exstitit non tam nominum proprietate, quam rerum veritate: adauxit enim rempublicam Hungariae; ipse primus Dalmatiam (Slavoniam) et Croatiam suae Monarchiae jure perpetuo subjugavit.* Nam adaugere, subjugare apud Grammaticos, et Juristas quondam fuerat prorsus aliud, quam revindicare. Si proprium productum recognoscit, quod S. Ladislaus primus Dalmatiam et Croatiam subjugaverit, quid sibi velit illud revindicare, viderit ipse; — Sed antiquissimum Monumentum apud Lucium: »*Anno incarnationis J. C. D. N. MXCI. Alexio Constantinopoleos imperante Vladislaus Pannoniorum Rex Croatiae invasit Regnum.*« Sed et invaduntur aliena, et revindicantur propria.

Verum illud prorsus singulare, quod ex illis in subnexa Nota vocibus: »Tempore ejus (S. Ladislai) regiminis notabilius in aliqua parte Slavoniae, et in aliqua totaliter coepit vigere nomen Christi,« praetendat aliam Slavoniam ab alia distingui; quasi si aliquis diceret: Georgius se laesit in dextra parte notabiliter, et in sinistra totaliter concussus est, ideo unus idemque Georgius in se distinguendus veniret.

Ad repetitum §. 22. aliud non observandum, quam quod in priori sustineat S. Ladislaum Croatiam, et Dalmatiam (Slavoniam) plane usque Belgradum ad mare subjugasse, in hoc autem quod Colomanus obtinuerit ceteram partem Slavoniae,

Digitized by Google

quae a S. Ladislao fuerat praetermissa, adeoque tota Slavonia sub suis Regibus primum ad S. Regni coronam accessit.

Ad §. 24. ad quem transivit a §. 22. ubi unice illud meretur videri, an propterea, quod hae terrae ab aliis antiquo nomine Dalmatia, ab aliis ab occupantibus eam Croatia, ac ab aliis generico vocabulo nationis Slavicae Slavonia compellentur, tardius in usum veniens specialis Saviae nomine Slavoniae compellatio — eaedem terrae mutationem subiverint. Uni e Croatis videretur quoad realem integritatem suam talem: qualem Hungaricae terrae, dum, licet ab aliis Pannonia, ab aliis Hungaria scribantur, his inclusa particella nomen Cumaniae ab Incolis accepit.

Ad §§. 25., 26., 27., 28. et 29. sunt fragmenta quaepiam Statistica horum Regnorum, quae ut secundum Polybium dilucidarentur, majoribus dissertationibus hic Loci superfluis egerent.

Ad §. 30. Oportuisset Kercselichium citare prout est p. 231 ad annum 1325 in Caroli Privilegio: »*Honor Banatus per exemptiones, quas per nos, aut Praedecessores nostros ad importunitatem petentium fere omnibus Nobilibus de Sclavonia scimus esse concessas omnino diminutus .... Omnes exemptiones, si quas quibuslibet Nobilium terrae Banatus a nobis vel nostris praedecessoribus obtinuissent, — per quas se a judicio, et Inquisitione, aut Jure Banatus in aliquo retraxissent, revocantes, et cassantes statuimus: quod universi, et singuli homines tam nobiles, quam alii cujuscunque praeeminentiae Conditionis, et status existant, in tota terra Banatus judicio, et jurisdictioni Bani subjacerent.* Unde videretur, quod omnes Palatinorum, et Judicum Curiae sive proprio facto, seu per exemptiones Judicii in has partes Involationes Originalibus Banorum Juribus eo minus praejudicent, quo clarius apud eundem Kercselich p. 241. ad a. 1359 in Ludovici etiam Privilegio legitur: »*Incolas Regni Sclavoniae coram nullo Judice trans fluvium Drave juri stare teneri; verum in praesentia Bani, aut ejus*

Digitized by Google

Vicegerentis respondere sint obligati. Horum vero Judicio non contenti ad Curiam Regiam valeant appellare.«

Quantum ad Notam: illud est singulare, quantum solatii habeat Disquirens ubique conquisitas voces *subjugavit* decantare; quasi Croatia et Dalmatia etiam sub Caroli potestate non fuisset; et Ludovicus ultro quid fecisset, quam quod quaepiam a Venetis occupata solum revindicaverit.

Ad §. 31. Quod Ludovicus Numerum Banorum, ad coarctandam eorum praepotentiam auxerit, ac tertiam pure Slavoniae dictum nominaverit; sed et sequelis visis iterato singulos Banatus unico contulerit, qui Dalmatiae, Croatiae, et Slavoniae compellabatur.

Ad §. 32. Sicut Croatis, et Slavonitis suas causas ad Curiam Regiam appellare admisit, ita Dalmatinis iterato suas Judiciarias causas ad proximas Italiae urbes appellandi votis detulit.

Ad §. 33. Hic probatur par jus fuisse Croatis cum Hungaris communes Reges eligendi. In eo solum Regna confundere ibat bonus Sigismundus, quod a. 1434 disposuerit, ut Mandatis praeceptionis Palatini, et Archi Episcopi locus detur in Slavonia, quod essent Judices Regni Ordinarii aeque ac Banus, quodve perniciosa Comitum Ciliae praepotentia initium sub eodem coeperit.

Ad §. 34. Videtur, quantus abusus fieri soleat in Hungaria ex nimia Indulgentia Regnantium.

Ad §. 35. Quam exitiosa incrementa habuerit praepotentia Comitum Ciliae.

Ad §. 36. Quod quidem sicut omnis novitas, ita et Banatus Sirmiensis necessariam confusionem fecerit, est verum; sed non videtur, quomodo per id simpliciter Sirmium hungarica Slavonia evasisset; cum Banatus sit Slavici aliquid, et non Hungarici.

Ad §. 37. Si Slavonia Hungarica nulla fuit, nec Jurisdictio Palatini sive vivere, sive revixisse poterat. Imo si pro-

Digitized by Google

pter constitutum Nicolaum Ujlak Banum, Slavonia hungarica evàsisset, Laurentio deposito debere cessare potius, quam firmari.

Ad §. 38. An inde nexus Croatiae et Slavoniae videtur, quod in pace per Hungaros cum Turcis facta Croatarum nulla mentio facta fuerit, atque ita tota Slavonia periverit, et ad id irreparabilis ruina Hungariae subsecuta sit.

Ad §. 39. Errat D. Disquirens, dum praetendit, quod Proto-Notarii in his Regnis per Reges b. nominentur. Hi enim in Generali Regni congregatione per SS. et OO. eliguntur, et sola Electio Suae SS. Majestati refertur et salarium b. assignari petitur.

Croatae et Slavonii a Rege Colomano aequales cum caeteris Regnicolis Hungariae nacti sunt immunitates, a successoribus Regibus confirmatas, quin tamen renunciaverint suis peculiaribus immunitatibus. Ambitus Slavoniae solvitur eo modo, quo obligatio Insurectionis expletur. Tota nempe superior, et inferior Slavonia distincte ab Hungaris insurgit, et aequaliter sub immediatis ordinibus Bani conformiter etiam articulis 66. 1681. 59. 1741. 5. 1808 dependet, adeoque tota etiam nulla particella excepta Jurisdictioni Bani subest, et ad integritatem Territorii horum Regnorum pertinent.

Ad §. 40. Slavoniae Divisiones per Disquirentem editi limites ita stant prout illud, quod Unna sub Arce Dubica Savo immisceatur, cum una integra statione a Dubica sub Jasenovac ex conspectis mappis, et realiter influat ad Savum. Si Unna aliquid divideret, sic divideret Croatiam Austriacam a Turcica. Et ideo Districtus ille inter amnes Savum, Verbas, Unnam non Slavonia stricte sumpta; verum Croatia Turcica audit.

Ad §. 41. Quomodo Banatus Slavoniae in Comitatus divisus fuerit, docet in eruditione nec Kercselichio, nec Fejério postponendus, in veri autem amore ambobus eminenter praeferendus Daniel Farlati T. V. Illyr. S. p. 331. »Sub

Digitized by Google

imperio Regum Hungariae Slavonia omnis est divisa in partes octo, quas Comitatus vocant... Principem inter omnes locum dignitatis, et excellentiae tenet Comitatus Zagrabiensis vergens ad meridiem, ab Urbe totius Slavoniae primaria denominatus, cujus jurisdictio ultra, et citra Savum protenditur. Reliqui septem Comitatus hi sunt: ab occasu Zagoriensis, cis ultraque Dravum porrectus, Varasdinensis, Crisiensis. Ab Oriente Verucensis, Valponensis, Sirmiensis, intermedius est Požegiensis. Slavonia ab occidente finitima est Norico Mediterraneo, nunc Styriae, seu Marchiae Vindorum, et Carnioliae; a Septentrione Dravo; ab ortu Danubio; a Meridie Savo fluminibus circumscribitur.« Hic quaestio non est, quid Disquirenti videatur, sed quid recto sensu deberet videri.

Ad §. 42. Praetendit D. Disquirens, quod jam Proto-Rex limites Dioecesium Quinque-Ecclesiensis, ac Bacsiensis jam Colocensi unitae in partes illas ab amnis *Almáš* in Dravum influxu extenderit. Sed Almáš fluvius non ex partibus Slavonicis, verum e finibus Comitatus Baranjensis in Dravum fluit, ergo ad quaestionem Nostram nihil confert. Dein quod Rado Palatinus ibi Ecclesiam S. Michaelis erexerit, sed haec hodiedum stat ad Muram fluvium, qui fluvius etiam Savus compellabatur teste Responso ad §. 17. Dein quod Monasterium S. Demetrii fundaverit, ac dotaverit; sed S. Demetrii plures Ecclesiae etiam in Hungaria exstant, debet ergo ex limitibus definiri, quae sit ista Ecclesia, iisque realibus, quod adhuc definitum non est. Ultimo, quod S. Ladislaus limites inter Quinque-Ecclesiensem, et Colocensem Dioecesim rectificaverit. Sed quaeso, ubi tunc Bacsiensis Episcopus fuisset, quod limites trans suam Dioecesim permiserit rectificari Quinque-Ecclesiensi cum Colocensi in Slavonia? cum ille intermedius inter hos exstitisset, ex quo saeculo 11. Episcopatus Colocensis cum Bacsiensi necdum unitus fuerit. Etenim apud Gebhardi T. I. p. 428, in Nota ad c. ita legitur: »Das zweite Erzstift *Bacs* entstand 1085 und ward 1156 mit dem eben

Digitized by Google

so alten Erzstifte Koloca verbunden.« Et Katona plane Fundationales Episcopatus Bačiensis S. Ladislao tribuit in Historia Ecclesiae Colocensis. Sed et in Tuis Dipl. T. I. p. 480, et 484 ad a. 1093. Episcopus Quinque-Ecclesiensis fuerat Stephanus, Colocensis *Desiderius*, et Archi-Episcopus Bačiensis *Fabianus*. Plura apud *Csevapovich* p. 364., *Schmidt* Episcopi Agriensis, et *Kercselich* videre sunt. Limites in Fundationalibus S. Stephani nullatenus itaque ad Slavoniam trahi possunt, quod nullus fluvius Kvarok in Slavonia rectius Savia reperiatur, nec ullus fluvius ibi e Danubio ad Savum propter ingentem montem, qui interjacet, duci posset. Fluit quidem rivulus ex hoc monte inter Susek et Banostor; sed non ex Danubio in Savum, verum e monte directe in Danubium, prout videre est e Mappa Dioecesis Diakovariensis. Verum quaestionati limites tam fundationalium, quam et rectificatoriarum forte citius reperiri possent in stricta Hungaria, aut si placet Hungarica Slavonia, ubi Castrum etiam Vesprimiense est utique intra Danubium et Dravum juxta Tuum Diploma in serie Diplomatum sub 2. LVI., ubi ita legitur: »Castrum Vesprimiense expugnari fecimus, et totam illam Slavoniam liberavimus. Anno 1491 in Comitatu nempe Baranjensi, Tolnensi, et Simegiensi, qui Saeculo 11. Hungariae accensi fuisse tuo etiam testimonio recognoscuntur?

Etenim limites in Fundationalibus Stephaneis in Cod. Dipl. T. I. p. 292. conspicuo leguntur primus Zemogny viculus usque Thapeon vicum, secundus Ozora donec perveniatur ad aquam, quae Lupa nuncupatur. Tertius Kopus usque Almas aquam. Quartus ut dicitur Kvarok sicut incipiens a Danubio super Savum fluvium. Jam Zemogny, et Thapeon, prout et Ozora in Comitatu Tolnensi sunt, et postremum est actu oppidum Eszterhazianum, ubi equacium Principis Eszterhazy est. Lupa reperitur in Diplomate Abbatiae de Tihan ad Balatonem, et sicut haec tota Abbatia in Hungaria est sic et Lupa ibi esse debebit, quin recursus fieri debeat ad Slavoniae Vukam. Ka-

Digitized by Google

poss in compendio Statisticae Antonii Faber T. I. Posonii 1833 p. 14. habetur in Comitatu Simegiensi. In Mappa autem Liechtenstern Viennae 1806 in Comitatu Tolnensi, Almas in Baranyiensi, Kvarok aut Kolerianum Köarok quaeratur in Comitatu Tolnensi, aut Albensi ibi, ubi Anonymus B. R. N., sicut attactum est, in Responso ad §. 13. C. 52. ponit alveum lapideum, ubi et Danubius prope est, et Schvartnerianus, et Szvartzianus Savus. Cui autem hoc non sufficit, pergat ad Comitatum actu Pestiensem, et Jazigiam, ubi Savus vulgo Sadva, Sagva, aut Sagyva plurimam affinitatem cum Sava etiam habens reperitur, et ad quem alveus lapideus e Danubio longe facilius duci poterat, quam in Savonia e Danubio ad Croaticum Savum, et plane ad Mitrovitzam. Sed et rectificatorium Controversiarum intra Quinque-Ecclesiensem, et Colocensem Episcopos Diploma S. Ladislai in Tuo Codice p. 481. videtur, non plus probat. Anno 1093 Termini aquaeductus, qui Kvarok dicitur, cum caeteris priori Privilegio insertis scilicet Zenon, Baczdi, Almadi in perpetuum possidendum adjudicarunt. Ubi Schmitth p. 38. E. A. praeter alias differentias has exponit: Primum Rerok, et caeteros Zernon Boosdy, et Almadi commemorat, ac in Nota sub D. dicit; in Privilegio S. Stephani legi: Reorarok et unicum ad Rerok utcunque accedere, alia autem ab aliis multum discrepare. Samuel Timon primum terminum ponit Zemegeny viculum usque ad Thabeon. II. Ozora donec perveniatur ad aliam aquam, quae Clupa nuncupatur. III. Ropus usque Almas aquam. IV. Revarok addendo: videtur Divus Rex terminorum descriptionem inchoasse in Regione Tolnensi, ubi inquirendae Villae, et rivi, profert autem terminos a Danubio primum ad occidentem, postea in Austrum ad Savum. — Sepositis tantisper his differentiis, ac suspicionibus ad §. 18. clarificatis, potuisset ne Controversia eo adhuc tempore inter Stephanum Quinque-Ecclesiensem, et Desiderium Colocensem ratione limitum in Slavonia inferiori seu rectius

Digitized by Google

Savonia oriri, cum intra Quinque-Ecclesiensem et Colocensem pro Slavonia interjacuisset Archi-Episcopus Bačiensis? cujus nomen in Cod. Dipl. T. I. p. 484. Fabianus legitur. Sed dato etiam, ast non concesso, fuisset aliqua controversia intuitu limitum in Slavonia inter memoratos Episcopos, quomodo dici potuisset triumphasse Episcopus Quinque-Ecclesiensis, si Colocensis totum Sirmiensem Tractum usque praetensum Kvarok retinuisset. Sed et quid et isthic non esset idem spissus, et implicatus modus, qui Patri Turocy fuerat in admittendo, quod S. Rex Sirmiensem Episcopatum fundasset; cum Sirmium continentesque terrae pars Slavoniae sint, Slavonia autem non ante Ladislaum, aut quod aliis propius videtur, Colomanum Hungariae paruerit. Et Ritterus apud Kercselich in Notitiis Praeliminaribus p. 101 sustinet, Slavoniam continuo ab Heraclii aetate partem fuisse Croatiae, ideo negat Emerici Nuptias, titulum Ducis Slavoniae (Saviae) omnemque Hungarorum ante Ladislai I. tempora in Slavonia potestatem concludens: Stephanus autem idem primus Rex Hungariae nihil juris, nihilque dominii, aut proprietatis ultra flumen Dravae in Slavonia habuit. Quomodo eam vita sua comite pacifice possedit? et in successores unitam Coronae Ungaricae transmisit? nusquam invenio. Et alibi: Alioquin quod sine testibus asseritur, sine difficultate negatur. Alioquin ab anno 1019 usque 1081 in manibus Graecanicis constituta.

Ad has tantorum Scriptorum conciliandas differentias et intelligendas rectificatorias limitum intra Dioeceses Quinque-Ecclesiensem, et Colocensem Ladislajanas expediret recurrere ad perpetuas Danubii intra Comitatus Tolnensem, et Baranyiensem ab una, parte vero ab altera Pestiensem, et Bačiensem alvei sui mutationes, prout eas vel eruditissimus Antonius *Balla* in Commentatione sua Geographico-historica de antiquitate Romana in gremio Incl. Comitatuum Pest, Pilis, et Solt unitorum situati Praesidii Szalk . . , et continuis mutationibus faciei Telluris circa Danubium sub Lemmate Manilii:

Digitized by Google

»*Non se cognoscunt terrae vertentibus annis.*
Exutae variant faciem per secula Gentes.«

Absque loco et anno impressionis Dedicatio facta praenotatur: in Praedio Nyáregyháza die 15. Februarii 1802. Habes p. 6. sequentia: »Porro in ordine rerum quoad situm, et locationem objectorum, quod olim unum continens fuerat, nunc Insula, aut prorsus Alveus fluminis, et e converso esse potest: Mutato nimirum fluminis cursu. Quorum quidem in gremio horum unitorum Comitatuum multo graviora adsunt Exempla, et Testimonia, quam ut hoc loco silentio praeteriri deberent. Ubi etenim ante XXXV plus minus annos sedes, et cubitus erat nobis gremialis vici Szeremle; prorsus in eo loco nunc meditullium est cursus et alvei Danubialis. Vicus aeque nobis gremialis Bogyislo olim immediate Danubii ripam insederat, alveo Danubii mortuo (Holt Duna) ibidem integra sua latitudine normali, ac profunditate in diem praesentem praeexistente, qui undique nunc altiore continente terra ita concluditur, ut nullus sane nexus antiqui hujus alvei cum moderno ad bis mille et ultra orgias remoto cursu Danubii compareat. Quin imo in Districtu nostro Sárköz in latitudine plus minus duorum milliarium vix aliquis locus assignari posse videtur, ubi Danubii cursus antiquioribus, variantibus temporibus non praeexstitisset: testantibus, et loquentibus id ipsum ingentibus in medio continentis terrae a moderno fluminis cursu longe remotis Alveis Danubii mortuis passim conspicuis, et quidem jugi hac alvei Danubialis mutatione, ac variatione in diem praesentem perdurante. Nam et anno 1772, ut propriae nostrae animadversiones perhiberent, supra Oppidum Báta, ad quod *Sárvizius*, Romanis *Urpanus* dictus, Mohatsiensi Danubio se se exonerat, certus notabilis anfractus, et gyrus ejusdem Danubialis alvei, bis mille orgias, in circuitu constituens, naturali aquarum vi, et in rectitudinem agendi impetu, glebaque id ipsum admittente ita perruptus est, ut flumen breviori hac arrepta via, alveoque gla-

Digitized by Google

ciali aqua subito excavato, in mentionato resecto alveo omnis aqua quasi torpens, et stagnans evaserit: ab adverso in Novo, rectiore et breviore alveo cursus fluminis tantam velocitatem adeptus est, ut plurimae Domus Oppidi Báta funditus convellerentur.... Harum ingentium in his oris alvei Danubialis mutationum distinctae, vel etiam conjunctae causae sunt, glebae iniquitas, alvei fluminis nimia tortuositas, insulae, syrtes, et brevia, riparum tanta humilitas, ut eas tumor aquarum duobus passim tribus pedibus superet; praecipue vero, et principaliter tempore defluentis glacialis totius alvei per retentam et contortam glaciem in arctaminibus subitanea obstructio. Quae dum contigit omne flumen alveo proprio ejectum, et exclusum ripas transcendere, ingentique aquarum diluvio circumjectum continentem inundare, saepius novum sibi alveum, et hoc quidem intra paucas horas excavare; antiquum ab adverso alveum oblimare, et opplere consvevit. Quorum omnium viva Exempla, quae aetate nostra contigerunt, in medium adduceremus, et indigitaremus, nisi studio brevitatis ab hoc avocaremur.« Et haec quidem Geographiam Patriae nostrae illustraturos meminisse juvabit. Distingue tempora, et concordabit scriptura. Cum et id certum sit, Coloczam sedem Archi-Episcopalem, nonnullos scriptores, ripam Danubii dextram priscis temporibus insedisse suspicatos fuisse. Adeoque hic potius fuisse controversiam intra Quinque-Ecclesiensem et Colocensem, quam in Slavonia Seculi 12, de quo hic nullo sensu jam quaestio est. Hungariae compellationes ita parum praejudicare possunt juribus horum Regnorum, sicut compellatio Imperii Austriaci quoad Hungariam juribus hujus. Quid quod Comitatus Zagrabiensis, et Varasdinensis in modernis Pestanae Universitatis Scholasticis Testimoniis Hungariae adscribi conspiciuntur, quin tamen ad stricte dictam Hungariam vel per ipsum Disquirentem reipsa pertinere adhuc praetendantur. Alioquin non agitur hic de Geographia, verum de absolutis studiis, et quali cum fructu. Nam si in

Digitized by Google

omni scriptore quaevis nudae voces in probam sumendae praetenderentur, vix aliquod Documentum probatorium foret. Aliud est, quod hic dicatur Csasma Sirmii pagus; quia si Csasma in Sirmio est, cum Csasma semper ad haec Regna pertinuerit, per se etiam Sirmium vel ex concessis ad haec Regna pertinere debebit.

Non autem ita Petricium, quod dicatur Urbs infra Banmonostra aditus in inferiorem Hungariam, jam hoc ipso in inferiori Hungaria est, quia aeque exclusivus, sicut et inclusivus aditus, aut terminus esse posset.

Nec secus Sec. XIII. quod in Diplomate commemoretur trans Dravum Marchia Dioecesis Quinque-Ecclesiensis, nam si iterato illius Marchia pertinere deberet ad Dioecesim Quinque-Ecclesiensem, tunc ultimatim totus orbis pertineret ad Dioecesim Quinque-Ecclesiensem, et non soli Comitatus: Veröce, Posega, Valpo et Szerém. Secundum illud rapacium: »quod vicinatur meo, debet esse meum.«

Pariformiter conscriptiones Sec. XIV. papales Decimarum, quasi hae non indicarent solum quantitatem earum, et non Geographiam Regionum. Et quasi Papae essent solum Ecclesiae Hungaricae Caput. Alioquin talis administratio fuit, quod repetundarum damnari Thesaurarius debuerit, custodiae tradi, nec ante dimitti, quam 40,000 fl. numerasset. Pray H. R. H. T. II. p. 524. Quantum demum ad Valko, Valkovar, Vukovar, quasi non posset etiam referri ad Vulkum, quod in pluribus Chartis ac in specie Mappa Farlatiana non occurreret etiam in sinistra Dravi parte. Et in Mappa Conradi Szvartz Notitia Orbis antiqui ad p. 437. in laeva Dravi parte, et non in dextra, ubi non Valko, sed Valpo est, Liszko in Comitatu Neogradiensi juxta Ludovicum Nagy p. 215. Reliqua nec commemorari merentur, quia quae Seculo XIV. acciderant, ad X. et XI. trahi nequeunt: Distingue tempora, et concordabit scriptura. Unicum illud non potest transmitti, quod praetendatur: *Radvan* aut *Raduvan* Radonis Palatini nomen conser-

Digitized by Google

vare. Quod secus id concipi nequiret, nisi per *Radovan*, quod tantundem esset, ac Rado foras, non est Tibi hic locus. Quod utique nonnisi risum movere deberet. Interim si ab affinitate Nominis aliquid fingi auderet, quare non potius a *Radovano* Zvonimiri filio? cujus etiam mentio fit in Fundationalibus Stephani illustris Croatarum Ducis in Cod. Dipl, T. I. p. 444. Sed et Nestor Eruditorum! ubi est celebre illud antiquum oppidum *Radvan?* descriptum per Csaplovich in Topographisch Statistisches Archiv des L. H. 2. B. p. 274—6, quod forte illustrius conservaret Nomen Radonis Palatini. Prout et illud, quod fide Decretalium Archidiaconatus Sirmiensis fuerit Dioecesis Colocensis. Quid jam cum Donatione Radonis Episcopo Qiunque-Ecclesiensi factum? Ubi triumphus hujus contra Desiderium Colocensem, si hic Sirmiensem Archi-Diaconatum habuit? sed et quid Sirmium est in Libro Decretalium? et non potius Firmium? Sed videtur, quomodo illud Idem Archi-Episcopo Colocensi a. 1229 Roma in Hungariam Sirmio recte applicari deberet? Quid quod Fermo latine Firmium sit in statu Anchonitano cum sede Archi-Episcopi S. Lactantii Patria teste Hübner: »Kurze Fragen aus der neuen, und alten Geographie.» Sed dato etiam eo, et ultro pace mea concesso, id totum ita esset, quid jam Saeculo 14. Sirmiensis ita Colocensi subjici non potuisset, sicut cum Episcopatu Bosnensi arbitrio Innocentii IV. factum esse scitur, et hodiedum plane cum Segniensi. Exinde autem, quod Banostra esset secundum Bonon in metis Graeciae, et secundum Vaddingum metae Hungariae essent, etiam metae versus Graeciam, et Banostra in Comitatu Sirmiensi forent, atque inde hic Comitatus quoque metam Hungariae versus Graeciam constitueret, et plane integrans pars Hungariae evaderet. Nae hoc logicum peccatum esset non minus, quam et, quod ideo, quia Joannes Hunyady Regni Hungariae et Sociorum Regnorum Gubernator Saeculo XV. adeoque a Ladislajano Regimine tertio dixit, dum Petrovaradini Comitia

Digitized by Google

servaverat, se in confinibus ejusdem Hungariae inferioribus tenuisse, jam Petrovaradinum in stricte dicta Hungaria esset. *Zalankemen* quaestionatum an idem sit, quod Slankamen, problematicum est. Sed sit etiam Rex, quid Sigismundus Rex solius stricte dictae Hungariae fuit? Unde suum Amice! Zalankemen prodeat, philologice non constat. Unde autem Slankamen, -prout in Mappa Diakovariensi, et apud Hitzinger legitur p. 426. explicat praeprimis Episcopus quondam Sirmiensis Szörenyi p. 26. hoc oppidum cum nobili olim Arce in latere montis supra Danubium sita dictum ab aqua salsa, quae ibidem scaturit, et quam ego, ait ipse (dum anno 1741 Dioecesim visitassem) gustavi, talemque reperi. *Ranzanus* quoque eundem locum salinum appellat. — Hoc autem Nomen a praetensa Salani arce recentius est detortum a vetusto *Zolonkamen*, quod aetate adhuc Anonymi B. R. N. in usu fuit, ut videre est C. 41: »*Detn egressi venerunt usque ad portum Zolonkamen*,« et non Salankemen continuando: et »*totum populum infra Thysciam et Danubium habitantem sub jugum suum constituerunt.*« Hic itaque est de eo Zoloncaman sermo, quod est infra Thysciam et Danubium, et non eo Slankamen, quod est intra Danubium et Savum. Et de Syrmio nec jotta occurrit. Praeterea *Zolon kamen* vetus Slavis idem, quod viride saxum: *Zeleni kamen* valebat. Idgenus appellationes a saxo desumptas vetustis Arcibus, Oppidisve a Slavis inditas fuisse, notius est, quam ut doceri debeat. Unde enim *Cérveni kamen* (vöröskő), *Modri kamen* (kékkö) et plura hodiedum appellationem repetunt. Frustra igitur hoc saxum Cl. Katona devolvit ad Salanum protegendum, dicit Sklenar p. 167. Slavus, adeoque fidedignus de Slavicis vocabulis testis.

Dlugossus scripsit historiam suam post Ladislajana tempora, adeoque jam eotum poterat suum Ulak in Hungaria latiori sensu sumpta ponere.

Petrus *Ranzanus* Siculus apud Mathiam per triennium legatus seriptor sub exitum Saecul. XV. judicio Bongartii

Digitized by Google

verissimo negligens, qui S. Stephanum anno 969 natum a. 1038 mortuum fuisse, non tamen plures, quam 63 annos vixisse perhibet. Meretur quoque de eo legi judicium Stephani Katona: »Exam. V. M. Moraviae situs.« Quid quod sufficiat propriam ejus fassionem audire, unde nam cognitiones suas hauserit. In fine unice rectum habet, dum dicit: »his in locis inferior desinit Pannonia, hic se Savus in Danubium immiscet, quibus fluminibus Moesia a Pannonia ipsa dirimitur.«

Bonfinius etiam Segniam, et Zagrabiam in Hungaria, utique latiori sensu, posuit; quemadmodum Pestinum in Austria Universalista.

Regestrum proventuum Regalium confecerat Episcopus Quinque-Ecclesiensis qua Thesaurárius a. 1495. Quae autem ratio fuerit, quod in Posegano Comitatu a fumo solutus fuerit unus florenus, in Veröcensi autem Crisiensi, Zagrabiensi, et Varasdinensi per dimidium, ultra Savum autem nihil, cum clavis operationis, ac praeseriptum Instructionis ignoretur, alia ratio supponi nequit, quam quae indubie subsistit, quod ultra Savanae partes sint plerumque miserae in superiori Slavonia, et Veröce modice meliores, Posegana autem provincia fertilissima sit. In reliquo de authenticitate hujus Regestri, ut videre est, apud Csevapovich p. 120, recte dubitatur. Idque eo magis, quod teste Pray in Historia Reg. Hungariae P. III. p. 524. Idem Thesaurarius in 40,000 convictus fuisse sciatur. Et si Veröce, quod inter Hungariam, et Posegam interjacet, ad Slavoniam pertinet, quomodo persvadebis Posegam ad Hungariam pertinere? quae teste Istvanfi L. V. inter Savum et Dravum paribus fere intervallis situaretur, nisi forte ab exemplo Fluminis, — Quale Quadripartitum Koller habuerit, Croatis non constat. Quod Zagrabiae impressum est, de praetensis Comitatibus nihil habet. Sed nec scitur, ubi adsui potuissent, aut modus incorporationis horum Regnorum poni.

Digitized by Google

Quod vero Indiculos ad calcem corporis Juris Hungariae expositos attinet, per quem et quare sint confecti, quareve corpori Juris adsuti, non constat. Hoc solum certum, quod cum Stephaneo per *Szent Ivany* publicato nullus horum conveniat. Qui etiam in Dissertatione sua IV. Horographica dicit: »Sunt autem tales Comitatus in ipsa Hungaria exclusis Comitatibus Slavoniae, et Transylvaniae 48.« etc.

Quantum ad montem, qui Slavoniam aut potius Tractum Dravanum a Posega dividit, ridicula proba esset, quod propterea Posega in Hungaria sit. Ubi per tot Diplomata probatur in Slavonia esse, et paulo ante remonstratum esset, eam in Hungaria stricte dicta non esse. Si proinde Tractus Dravanus ex remonstratis ad integrantem partem stricte sumptae Hungariae non pertinet, multo minus Poseganus, quem ille Tractus ab Hungaria separat, quive teste citato Istvanfy paribus intervallis inter Dravum et Savum situatur. Itane Remonstrantes Geographiam scripsere?

Confirmat id quoque Statistica Martini Schvartner pag. 52. in Nota ad a: Iter per Poseganam Slavoniae Provinciam a. 1782 susceptum a M. Piller, et Ludovico Mitterpaher. Et Sörényi pag. 37. Tertius Comitatus Poseganus — dictus ab Urbe Posega, quam Author Topographiae unam ex praecipuis Slavoniae Civitatibus nominat. Sed et quaestionatus Kèrndia Mons est intra Vèröcensem et Poseganum Comitatum. Si ergo Comitatus Veröcensis est in Slavonia, sicut toties probatum est, et haec distincta esset a Comitatus Posegani provincia, necessario deberet Posega vel ex ipsa Disquirentis argumentatione potius ad Croatiam pertinere, quam ad Hungariam ex sua situatione cum intra Posegam, et Hungariam stricte sumptam Comitatus Veröcensis sit. Relate ad Brodericum Saeculi XVI. scriptorem, sufficeret Disquirentem reflectere ad statum quaestionati saeculi, Eundemque Disquirentem serio objurgare, quod ubi Brodericus habet Pannoniae *superioris*, hic pro more suo ponat: *inferioris*. Ultro,

Digitized by Google

quod ibi dicitur: Sirmio, et ei Regni parti praefuisse Paulus Thomory, et non Banus. Aequo jure replicari posset: nec Palatinus, ergo nihil dictum.

Faustus Verantius a. 1583 poterat jam Comitatus Slavoniae commiscere cum Hungaricis suo sensu. Sicut Littorale Croaticum jam Hungariae, jam Austriae adscribebatur, quin propterea Croatia, quae de verbis non certat, proprietatem suam in hoc amiserit, cum non scriptores, sed Authoritates Jura decidant. Qui titulo et modo non remonstratis fidem utique non praestant.

Notata *Listhii* sano sensu sumenda sunt. Et Istvanfianas historicas expressiones aeque in sui temporis sensu intelligere oportet. Istvanfi interim est unici Kercselich. et Fejér judicio insignis Geographus, qui L. IV. habet p. 31. Tertius in Verbanum amnis influat, Bossuta nunc dictus, quem veteribus Bacuntium vocatum quidam putant, demersae in eum Elisabethae Reginae Hungariae infelici casu celebratum. Indubie et iste in poenam ad Slavoniam inferiorem transmigravit. Ita quoque Unnam sub Arce Dubica Savo miscere. L. II. p. 11. sustinet, ubi reipsa infra Jasenovac Savo miscetur. Teste etiam ipso Kercselich p. 483 ab inferiori parte, sive Savo, ad quem Vunna ad Jasenovac illabitur, adeoque adhuc procul a Dubica. Ita quoque dicit ibidem, quod Croatiam a Slavonia dividat, ubi ejus tempore, et actu potius Croatiam Austriacam a Turcia in parte dividere conspicitur. Unicus *Tomcus* recte deplorat fatum Slavoniae, pro qua semper certatur solum tunc, quando in manibus Croatarum est. Quid *Forgach* saec. XVII. scripserit, tempus illud explicat. Secus quomodo Comitatus Simeghiensis, Baranyiensis, ac Tolnensis Hungariae Confines esse intelligi possent? Petrus Revay Verutiam, aut Rasciam extra, et intra Savum ponit, ac Sirmio beatissimo Sinui Hungariae confinem et conjunctam Sacrae Coronae 1659, de qua scripsit.

Digitized by Google

Citando autem verba e Martino Szent Ivanyo qua fide procedat Disquirens dissimulari non audet: Ille Saeculo XVII. Part. I. p. 148. vel 149 parum ad rem, sed ipsa citatio conferatar. Dicit hic: »Rascia prout Croatia distincta a Slavonia, ab occasu habet Sclavoniam, a Septentrione Hungariam, et Dravum fluvium, ab ortu confluentiam Savi in Danubium,« et statim ommissis, quae apud citatum authorem leguntur: »*quamvis pars una Rascianorum occupet etiam ultra Danubium,*« dicit simpliciter: »*bonam Hungariae partem.*« Non dixit proinde eruditissimus Szent Ivanyi: Rasciam esse bonam Hungariae partem, prout Disquirenti abuti placuit; verum quod Rascianorum pars, quae ultra Danubium ex parte Rasciae est, occupet bonam etiam Hungariae partem. Bone Deus! quis auderet se committere talibus citationibus? Regula et olim fuit, et actu est generalis, ut lector idem cogitet, quod ille, qui scripsit, cogitabat. Si Rascia fuisset Hungaria, quomodo Hungariam habuisset a Septentrione? Quare autem inferior Slavonia Rascia compellaretur, Horvath in Statistica Regni Hungariae p. I. pag. 100 habet: »*Rascii, et Rasciani audiunt; siquidem e Rascia, quae Serviae pars inferior, ad nos appulerunt.*« Et Episcopus Sirmiensis Szörenyi p. 15. »*Rascia proprie est pars orientalis Regni Serviae sic dicta a fluvio Rasca per eam labente, quia tamen natio Rasciana, praesertim post occupatas suas Ditiones a Turcis, transfudit se partim ad confluentiam Savi, et Danubii, partim etiam ultra Danubium ad partes Temesienses, saepius nuncupantur et hae partes nomine Rasciae, licet et confluentia Savi ad Danubium reipsa spectet ad Regnum Slavoniae, partes vero Transdanubianae circa Temesvarinum, et infra, ad Regnum Hungariae acceptum in rigore.* Quod inferior Slavonia prius etiam ita compellata fuerit, quam Rascia, patet etiam ex Gebhardy. 3. Theil. p. 556. »Der Kaiser Manuel.. daher begab er sich durch Servien nach Slavonien, und nicht nach Rascien.« Sed demus etiam Sententia Szent Ivanyiana esset: Slavo-

Digitized by Google

niam ab omnibus fuisse compellatam Rasciam circa finem Seculi 17., quid pertineret ideo, quod ipse nec praetendit, Slavonia ad stricte dictam Hungariam? Quid Rasciani communis habent cum Hungaris? Teste Flavio Blonde apud Farlati: Suorum temporum moris fuisse, communique consvetudine receptum, ut praetermissis Albae et Rubrae Chrobatiae vocabulis, Terrarum ille Tractus citra montes vergens ad mare: *Dalmatia* simpliciter, et sine ulla cognominum appositione dicatur; Regio autem montana, et mediterranea Chrobatia nominetur, Bosniam vero et Rasciam ad Regnum sive ad Reges Chrobatiae ita pertinere ait; »servat tamen aetatis nostrae consvetudo,« addit Farlati, »ut ea omnis Dalmatiae quondam ora in superum mare vergens Dalmatia, et quidquid ejusdem montes mediterraneaque fuere, Croatia nominetur, Rasciaque, et Bosna pro Regni Croatiae Regionibus habeantur.« Et p. 117. »Ita per temporum successiones dilatantur, contrahuntur, et mutantur fines Provinciarum, ut exinde diversitas nominum apud Scriptores Confusionem pariat, nisi tempora distinguantur.«

Saeculo XVIII. citantur in circulo Transdravano: Valkoniensis, Poseganus, Sirmiensis et Veröcensis. Ergo isti Comitatus omnes sunt Transdravani, licet Valkoniensis, et praesertim Sirmiensis Dravum nec attingat usquam; sed Danubio adhaeret, sequaciter, si ad Hungariam pertinuissent, commemorati fuissent in circulo Transdanubiano. Itaque cum Dravum S. Ladislavus pro occupanda Croatia primus, teste Diplomate Andreae II., transiverit, hi omnes Comitatus recto ordine, et sano sensu Croatici esse debent; eo magis, quod consveto more, ex superius remonstratis, dum de Croatiae limitibus agitur, particella illa Danubii a Dravo usque Savum pro Dravo summatur. Quod cum alicui forte recte ex Hungaris non placeret, praetendendo, quod sicut minor per majorem absorbetur, ita et majoris nomen retineri deberet; quod quemadmodum in regula stat; ita alii hungarici praesertim

Digitized by Google

Scriptores re tales, aut desiderio eo libentius hanc argumentationem in privatis, et Comitialibus scriptis retinuerunt, quod hoc Hungariae nunquam aliquid nocere posset, lucri autem adferre aliquando valeret. Interim, qui nomen Dravi retinuerunt, eam rationem videntur habuisse, quod Danubius in rectam Dravi, qui limitem semper Saviae, consequenter et Slavoniae etiam qua Rasciae ab Hungaria realiter fecerat, usque Savum, qui aeque per extensum Saviae limitem constituit, decurrentis lineam impingit, a generali regula exceptionem fieri posse non dubitaverint, quemadmodum Strabo apud Lucium p. 58, prout jam in Responso ad X. remonstratum, dixit Colapis amnis, qui ex Albio monte per Japides delabitur, inque Danubium exit, licet non directe, sed via Savi, utique majoris brevitatis gratia ita dicit. Absque ratione sufficienti tot, ac tanti Scriptores id certo non fecere, quin quaecunque pertinacia inde quidquam contra alium nocivi jure deducendo sit, quantumcunque se Disquirens torqueat. Ita apud Söreny pag. 220 Strabo dicit: »Bosveta Savo commixtus in Dravum illabi,« licet secus in Danubium inter ipsum Sirmium et Belgradum 800 circiter passuum millibus intra Dravi ostium. Indubie ope Danubii, quod particellam Danubii inconsiderabilem judicaverit. Unde Danubius per plurimos Scriptores a Belgrado non jam Danubius sed Ister compellatur.

Ad §. 37. ad quem Disquirens ex §. 42. rediit, ubi ut Thesim suam sustineat, dicit: »In legum quoque Regni articulis Hungaria disterminatur a Slavonia, ut quaestionati Comitatus priori adnumerentur. Hoc probare vult per citatum art. 22. an. 1445. Sed ubi hic: Comitatus Poseganus, et Veröcensis stricte sumptae Hungariae adnumerantur? Sed Comitia 1447 docent, quod Comitatuum inferioris Slavoniae Ablegati inter Hungaricos sederint, et Croatici ultimi. Jam modo hi sedent primi et illi ultimi. Quid ad haec? Et quid hoc ad Geographiam? Quantum ad art. 7. an. 1478 et art. 16. an.

Digitized by Google

1498 Unus e Croatis recognoscere debet, se hinc eruere nequire: An Slavonici Hungaricis, vel Hungarici Slavonicis hic adnumerati sint. Indubie sensu sano neutrum, sed simpliciter positi sunt Comitatus, de quibus quaestio fuit, et non de limitibus Regnorum. Inferiores partes intelliguntur etiam Regna Slavoniae, Dalmatiae, et Croatiae sensu art. 6. an. 1471. Falsum autem est, superioris quoque Slavoniae Comitatus ad Regni Comitia distinctim etiam vocatos non fuisse, idque saepius, prout Acta Regnicolaria fidem perhibent. Ita Comitatus Crisiensis an. 1468 duos vel tres jubetur mittere Posonium, et an. 1473 Budam. Ita Zagrabiensis an. 1457 Budam. Quantum vero ad citatum art. 35. aut rectius 30. an. 1525, et signanter duodecim Comitatus a Zeurino usque Posegam, an nempe Krassoviensem fide Nagy Lud. T. I. p. 184. vel Slavonicam, hancque ad fluvium Dravum teste Madarassi p. 28. Dissert. de primis R. H. limitibus, aut Orljavam ducantur, necdum erutum. Quamvis etiam secus nihil probaretur, cum hic quaestio agitata non fuerit de Hungaria et Croatia. Quantum vero ad Hatvanensem Conventum, et Verböcium reponitur, quod in Verböczium St. et OO. adminus Croatiae, et Slavoniae quoad hanc quaestionem nunquam compromisisse doceri possint. Atque inde praemature exultat Pray; cum nemo dubitet, quaestionatos Comitatus ad Slavoniam pertinere, ac pertinuisse. Verum quaestio verteretur: An ad Hungariam stricte dictam qua integrans pars vel unquam pertinuerint aut pertineant. Quod dubium inde quoque evanescit, cum teste art. 50. an. 1741 Jurisdictioni S. Coronae incorporati quidem sint, sed et Jurisdictioni Regni, et Bani subordinati fuisse conspiciantur. Quo ad Catastrum Regnicolare, et portarum concursum debet Disquirens scire, quod superior Slavonia jure Croatiae (ratione administrationis) et inferior jure neo-acquistico regatur, et inde etiam per nomenclationem superior et inferior distingui solet.

Quantum ad an. 1712 Comitia, in his et subsequis so-

Digitized by Google

lum agebatur de modo et forma reincorporationis non minus neo-acquisticorum Hungaricorum, quam et Slavonicorum Comitatuum. In reliquo noverit Disquirens, quod objectum legum Hungaricarum hucusque adhuc nunquam fuerit discussio tituli, et modi, quibus haec Croatarum Regna se S. Coronae associaverint. Atque inde, si quae etiam in aliquo articulo praejudiciosae expressiones irrepserunt, hae, quia ex insidiis, et invitis Partibus interessatis factae sunt, et solito, qui in Comitiis Hungaricis obtinere solet, more injectae fuisse censeri debent, in essentia nihil probant.

Ad §. 42., ad quem secundario ex §. 37. reditus fit.

Quod omnes Comitatus suo sensu Jurisdictioni Palatini, et Judicis Curiae subordinati sint, de eo Uni e Croatis nullum dubium; Palatinus enim est Regius absentis Regis Locumtenens, Excelsi Consilii Locumtenentialis Regii, cujus, sublato Croatico Consilio, vigore etiam art. 58. an. 179$^{0}/_{1}$ activitas ad Regna quoque Dalmatiae, Croatiae, et Slavoniae extenditur, exceptis municipalibus, haec eadem Regna in concreto respicientibus negotiis, quae porro quoque in generalibus eorundem Regnorum congregationibus pertractanda veniunt, lege sibi delatum Praesidium gerit. Communium quoque Comitiorum Praeses est, Regem inter et Regnum in arduis negotiis mediator, Fidelitatis, privataeque Securitatis et Libertatis Custos, Tabulae Septemviralis aeque legalis Praeses, ac Tabularii Regni Praefectus. Et ideo etiam communi omnium SS. et OO. voto et de lege, et de usu eliguntur, nulla jura majora habet in essentia quoad inferiorem Slavoniam, quam et superiorem. Judex quoque Curiae itidem absente Palatino communium Comitiorum, Excelsi item Consilii, et Tabulae Septemviralis Praeses est. Atque inde quivis ex quacunque Regni parte in negotiis ad Sphaeram Eorundem officiorum pertinentibus Iis obedire omnino tenetur. Et licet Bani olim in his Regnis eadem fuerit authoritas, quae in Hungaria Palatini, dum Civilia, Judiciaria, ac mili-

Digitized by Google

taria curabat; sensim tamen, nova nempe rem politicam, judiciariam, ac militarem administrandi ratione invecta, necessario diminuta est in multis utriusque authoritas, quin propterea etiam limites horum Regnorum diminuti dici possint. Reliqua hic repetere nec juvat, nec proposita operis moles admittit. Cum Suprema Judiciaria potestas sit penes Regem; potest proinde extraordinario modo committere Palatino, vel Judici Curiae aliquod Judicium, salva Banorum ordinaria Jurisdictione, prout videre est in Privilegio Caroli an. 1325 in responso ad § 30. Et hodiedum in vigore constituta Privilegia Episcopatus et Capituli Zagrabiensis relate ad Judicia Comite Curialia, unde appellata non ad Tabulam Banalem, sed ad Tabulam Regiam fieri debet.

Ad §. 43. Singularis unus alterve Casus illegaliter, aut ex ignotis causis interveniens, aut si Epocha mixtae Periodi, et praesertim praepotentis Mathiae tempora accensa melioris Critices face spectentur, in constitutionalis Regni jure nihil probaret. Quantum ad illud, si Provincia Sirmiensis in Banatu Slavoniae fuisset, in ea Slavoniae Banatus erigi haud debuisset, nec potuisset. Retorqueri posset. Si provincia Sirmiensis in Hungaria fuisset, cur non Palatinatus potius quam Banatus erectus fuisset? Noverit quoque, quod Bani in his cis Dravum sitis, ex parte Hungariae Trans-Dravanis Comitatibus Ordinariis Magistratus in regula sint, teste etiam Tuo §. 27. Banorum Jurisdictio Palatinorum in Hungaria, ac Vajvodarum in Transylvania potestatem aequabat, atque in Jure dicendo, exercitu ductando, moribus item ac Consvetudinibus Regni conservandis, atque in absentia Regis conventui generali praesidendi potestate continebatur ordinaria, et si quidpiam turbulentis, et confusis temporibus contra leges, consvetudines, ac Privilegia reclamantibus SS. et OO. horum Regnorum, aut pro speciali quopiam necessitatis casu consentientibus factum, inde nullum praejudicium formari potest. Ita recentiori tempore, prout jam superius dictum, ac teste ar. 2. a. 1805. S. Maj.

Digitized by Google

Sacratissima erga humillimas ex parte Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae propositas preces clementer annuit, ut provisio, art. 59. an. 1741 relate ad Insurrectionem eorundem Regnorum in suo vigore permaneat, et Insurrectio taliter coordinata a Supremis Suae Serenitatis Regiae Domini Regni Palatini ordinibus in modernis duntaxat rerum adjunctis (invalido Bano Erdödy) dependeat. Et ideo iterum art. 5. an. 1808. per extensum habetur: Accedente Suae Majestatis Sacratissimae Benigno Annutu respectu Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae provisio art. 59. an. 1741 in suo vigore ea ratione relinquatur, ut Insurectio fatorum Regnorum relate quoque ad constituendam Exercitationis modalitatem in generali eorundem Congregatione coordinetur, taliterque coordinata legis casu intra triennium eveniente hosti opponatur, semper tamen in conformitate art. 66. anni 1681 ab immediatis Domini Comitis Bani ordinibus dependeat. Quare Syrmiensis Banatus per Mathiam olim erectus fuerit, adjuncta temporum docent. — Et apud Kercselich in pag. 284. et 285. ubi inter caetera legitur: Mathias Nicolaum de Uylak ad suas partes promissis traductum, ac a Friderico Imperatore deficientem; docentibus monumentis primo Transilvaniae Vojvodam dixerat, tum Machoviensem, et Slavoniae Banum. Nicolai Banatus ad Sclavoniam superiorem extensus non fuerat illico, quia Joannes de Gereben Banum egit. Et p. 287 Comitatus: Varasdinensem, Zagoriensem, Zagrabiensem, et Crisiensem fors ob praetensas a Sigismundo Rege factas olim Comitibus Ciliae oppignorationes Friderico paruisse. Sed et Horvath in sua Statistica, nec non Samuel Timon: Imago N. H. C. VI. sequentibus verbis: Notatione dignum illud hic succurrit, post vastatam, subactamque a Turcis, excepto Belgrado, Serviam, Banatum Machoviensem a Mathia Corvino sublatum fuisse, et Sirmiensem institutum. Subnexa Nota clarificat, omnes quaestionatas partes strictae Slavoniae esse, et non nisi in lato sensu Hungariae.

Digitized by Google

Ad §. 44. Ex modo, quo Comitatus in Comitiis compellentur, cum hic saepe variet, certi nihil erui posse per se patet. Mokricz (Mokrice) et Bresce (Brěžci) jam modo non ad quaestionatam Slavoniam pertinent, verum priorem ad Carnioliam, et posteriorem ad Styriam pertinere Unus e Croatis propria experientia edoctus est, et cuilibet Geographicas mappas aspicienti patet. Quam autem pretiosum tempus cum identidem repetitis Scripturarum in abstracto, et incohaerenter citationibus perdatur, propria per Disquirentem congesta Diplomata, et rectior Hermeneutica satis ostendunt.

Ad §. 45. Hic satis esset relegare D. Disquirentem ad proprii Cod. Dipl. T. IX. Vol. I. p. 157. Fassionem Margaritae filiae Zoym celebratam coram Paulo Plebano de Veröce super possessione Ztoydiasa Comitatus Veröce Magistro Treutel vendita anno 1343. ubi pagina 158 habetur: *pro Viginti quinque Marcis Denariorum Banalium*, consequenter jam ante tempora Mathiae fuerat Veröcensis Comitatus Banatui subjectus. Sed et in eodem Vol. pag. 255. Dipl. 117. an. 1344. Nicolaus totius Slavoniae Banus compellatur. Ergo male Tibi videtur, Comitatus Slavoniae, et praeprimis Veröcensem Provinciam arbitrio Regis Mathiae Banatui Sclavoniae obnoxios. Et si per inconcessum ita, ubi tunc fuerant Hungari, quod non contradixerint.

Ad §. 46. Cum hic D. Disquirens solum minetur fulmina Geographica, Historica, Diplomatica, et Politica ingenuo veritatis cum amore, videamus.

Ad §. 47. Hic jam ingenuus veritatis amor proditur non solum per male citatas paginas, sed luculentissime etiam per id, dum recitat: limes Hungariae versus Croatas ad meridiem idem debuit esse, qui fuit ad orientem. Subticendo D. Disquirens *versus Bulgaros*. Et inde

Ad §. 48. exhorrescit plane ad praetensos errores logicos, et Geographicos. Fundamentum horroris assignat.

Digitized by Google

Errorem logicum in eo, quod Unus e Croatis ex dictis Porph. Thessalonicae scribentis: Habitant trans Danubium flumen Turcae in terra Moraviae, atque etiam ulterius inter Danubium, et Sabam fluvios, in sua animadversione: primo ultra Danubium ex parte Thessalonicae Hungaros posuerit. Dein eos trans Danubium, opposite utique Belgrado, quod idem Scriptor ad initia Turciae posuit, ac Turcae in Danubio habitasse supponi nequeant, in Terra Moraviae, ac ulterius ita reliquerit, ut Danubium, trajecto semel ex parte Thessalonicae eo, nuspiam egressus sit, verum directe trans Danubium Sabam quaesierit. Verum cum Porphirogenitus non indicet tempus, quo quid accidisset, ut Geographia ex aliis juvari possit, et quaestionata Saba defigi valeret; initia vero Turciae non minus Sirmium versus meridiem, quam pontem Trajanum, et Belgradum versus orientem posuisset, et omnia quidem juxta cursum Fluminis, sequaciter quemadmodum pons Trajanus, et Belgradum non fuerant in Turcia, sed ad initia Turciae exclusive, sic et Sirmium. Necessitas Danubium amplius transgrediendi non fuerat; nam si Sadva, aut Sajo pro Saba, intra quam ac Danubium Turcae longe citius eotum habitare potuissent, quam intra Savum Croaticum, et Danubium, Saba ultra Sirmium Belgradum et pontem Trajanum in Terra Moraviae, esse intelligi debuit, inter fluvios, qui in Responso ad §. 19. etiam memorantur. Dum itaque Unus e Croatis Sabam quaerendo cursum fluminis, trans quod Porph. Sirmium immediate posuit, sequendo usque Satzavam fluvium e finibus Moraviae versus Bohemiam in Moldavam ad duo milliaria a Praga versus Moraviam progrediendo sese exostiantem processit, nec logicum, sed nec historicum errorem commisit, cum Hung. teste Pray a. V. p. 341 ea aetate omni Moravia potiti fuissent, quin ipsam quoque Bohemiam iis tributariam, aut amicitiae foedere junctam esse oportuerit, quod per Bohemiam necesse iis fuerit in Saxoniam procurrere. Ac iidem teste etiam Schemat. Nitriensi a. 1835. p. 53. totum Mo-

Digitized by Google

ravorum territorium, quod amplissimum fuit, et Germanis formidabile, occupaverint. Farlatus T. I. p. 118. Hungari visa Dalmatarum fortuna vice versa invadunt Moraviam, Bohemiam et Saxoniam. Quod confirmat etiam Katona Steph. Examen vetustissimi M. Moraviae situs p. 20 et 21. Et plura videre est: in Responsis ad §§. 9, 10, 11 et 13. Fueratne ratio exhorrescendi Philosopho, Geographo, et Historico? et trepidandi ibi, ubi non erat timor? Porph. C. 42. Editionis Lugduno Batavorum habet: »*Et habitant quidem trans Danubium Turcae in terra Moravia, et quidem ulterius inter Danubium, et Sabam fluvios.*« Si ergo in terra Moravia, et si etiam ultra Moraviam concederetur, cum *ulterius* ex *ultra* secundum Grammaticos prodeat, certe ratio praemissis historicis datis exhorrescendi non fuisset.

Ad §§. 49. et 50. Ex eo, quod Hungariae initia versus ortum ad pontem Trajani fuerint, quodve Hungari a Bulgaris Istro separati exstiterint, quaerit D. Disquirens: Sequiturne, limitem Hungariae ad meridiem, Danubium versus Croatas fuisse? Ita certe secundum Porphir., quia non minus Sirmium ponit juxta cursum ejusdem fluminis, ad quod et Belgradum posuit, et super quo pons Trajani esset pro initiis Hungariae. Ergo sicut pons Trajani et Belgradum non sunt in Hungaria, sed ad initia exclusiva Hungariae; ita nec Sirmium posuisse supponi potest in Hungaria, verum ad initia duntaxat Hungariae aeque exclusiva; cum Sirmium dicatur pari modo ad cursum fluminis Danubii esse, sicut et Belgrada. Et quemadmodum idem flumen dividebat Bulgaros ab Hungaris, ita et necessario Croatas Savanos ab iisdem Hungaris, juxta sanam Logicam.

Sed nec hic quaestio est de ea Pannoniae parte, quam Longobardi per Narsetem evocati icto foedere Avaribus cesserant; verum de ea actualis Hungariae plaga, ubi Avares eotum fuerant, dum Dalmatae Salonae congregari soliti, adversus eos ad eum Danubium vigilias servarunt, quem Dal-

Digitized by Google

matae ad expilandos Avares transire soliti fuerant, et quem Avares transire debebant, dum Salonam per insidias ceperant, et Dalmatiam occuparunt, ex qua per Croatas indultu Heraclii pulsi fuerant. Secundum supracitatum Antonium Bala, qui pag. 31. Pannoniae Romanae limites dabat (quantum nos ferit) Danubii cursus inchoando a montibus Cetiis supra Viennam usque confluxum ejus Savo flumine ad Taurunum. Et pag. 33. Jazyges Metanastas, et Quados Romani nunquam subjugare poterant ... ab adverso continuis bellis et irruptionibus in Pannoniam Romanos Jazyges, et Quadi vexarant.... Exindeque ad tutationem Imperii fines, ac Margines, qui hoc loco Danubii alveus fuerat, in ripa ejus dextra legiones plures excubare in hybernas distribuere et vias stratas militares pro celeriori et promptiori communicatione ingenti labore munire coacti sunt... Pacem item Marcum Imperatorem non aliter, quam sub hac conditione pepigisse, ut a Danubio duplo magis, ac Marcomani imposterum abessent. Hoc est, ut in illa Danubii ripa seu laeva, in qua ipsi habitant ad 76 stadia ceu duo circiter milliaria Germanica ab ipso fluvio numeranda vacua, et deserta manerent.... Ut Regio Tibisco adjacens Dacia ripensis dicta sit, et ad dexteram ejus Jazyges Metanastae habitarunt.

Ad 2. Sirmium ibi ponere, ubi Zemlinum est, eritne gravior error, quam qui illud ponunt ad Mitrovicium. Hic enim quaestio formari debet unice de Sirmio Porphirog., in quem Unus e Croatis cum Madarássi coaluerat. Is autem in Lugduno Batava Editione C. 40. se ita exprimit: *Et rursus ad ostium fluminis Sirmium*, omnimode autem ad Danubium prout etiam in Veneta Editione habetur: *Et rursus ad cursum fluminis exstat Sirmium*, ubique ex contextu Danubius intelligitur eo magis, quod Leo sapiens Pater Constantini Porphirogeniti etiam habeat: *Conservat hic idem Ister nomen suum ad Sirmium usque opulentam illam Romanorum Urbem.* An autem recte in eo stricte loco sit nunc Semlinum, ubi

Digitized by Google

olim Sirmium fuerit, vel ubi Vilacum secundum injectam per Nicolaum Istvanffi pag. 67. opinionem ruinas Sirmii occupet, parum ad rem; cum nec Hungaria, nec Croatia per id seu lucretur quidquam, seu perdat, dummodo ad Cursum fluminis Danubii sit in quacunque plaga ad initia Hungariae, et fines Slavoniae. Gebhardi T. I. p. 500 habet: »Zeugmen oder Sirmium, et pag. 525. sub 9. in Castro Zemlen (Zeugmen). Graeci quoque Scriptores, ut refert Nicetas apud Szörenyi, Sirmium Zeugminum dixere. Sed tanto minus Mitrovicium, Sirmium seu Porph. seu Plinii esse potest, cum nec sit seu ad ostium, seu ad cursum Danubii, ut Sirmium Porph. foret, nec sit ibi, ubi Bacuntius (Bossut) in Savum fluit, ut Plinianum Sirmium dici quiret. Sed nec Zozimi, quod ex utraque parte illud non alluat flumen in Istrum se exonerans; Marsiglius in Descriptione Danubii non poterat in rudera quaepiam Sirmii ad Savum impingere. Accedit etiam fidedignum Examen Episcopi quondam Sirmiensis *Szörenyi*, qui pagina 88 »*vindiciae Sirmienses*« ita habet: »Nam (uti ego occasione trinae jam Visitationis Dioecesis meae Mitrovicii existens praemissa omnia accuratius investigavi, inspexi, et ruminatus sum) aedificia illa, quae Marsilius turres vocat, erant moscheae Turcarum cum suis turribus; quarum tres ibidem etiam nunc exstant, una ex iisdem in Catholicam et Parochialem Ecclesiam sub nomine S. Demetrii conversa, subterranea vero aedificia, quae sacella fuisse putant, et dicit fuere Turcarum balnea; ingentia demum illa rudera, lapidumque congeries extra modernum oppidum exstantia, Residentiam officialis Turcici ibidem residentis. Si quidem mitrovicium etiam sub Dominio vel potius tyranide Turcarum fuisset locus valde celebris, et populosus utpote, qui (ut traditio habet) duodecim millia domorum in se complectebatur. Illud tamen non negaverim, materialia praemissorum aedificiorum, tegulas, lapides etiam sectos etc. fuisse ex ruderibus antiquae urbis Sirmiensis eorsum translata. Katancsich

Digitized by Google

quoque non ad quaestum, verum studio erruendae veritatis Scriptor vere eruditus in Libro suo: »*Specimen Philologiae et Geographiae Pannoniorum*« in praefatione habet: »Quocirca qui Sirmium ad Mitrovicium aut Siscium ad Odram patuisse assereret, nae is egregie hallucinaretur.« Unde autem error hic irrepserit, facile quivis videt, quem non fugit, vetus, et novum Sirmium fuisse, et quia illud per quosdam Scriptores ad Morovicz ponebatur, alii, quod eos piguerit quaerere, ubi Morovicz (Morović) jam vilior locus esset; Mitrovicz vero propter amplitudinem admodum celebris, non reflectentes, per quem haec aedificia posita fuissent, hunc pro Sirmio praeelegerunt. Samuel Timon I. A. H. p. 32. Supra Zemlinum in ripa Savi erat Bassiana, quae in Vicum Mitrovicium abiit. Tarsium vel Tarsum vicus est hodie S. Demetrii.

Ad §§. 51. et 52. Non est inter Eruditos controversia: Num Hungari in Moravia, et ulterius intra Danubium et Sabam non habitaverint. Verum: quis iste fluvius fuerit Saba. Quod jam satis trutinatum est ad §. 48, et ibi provocatos. In §. 52. recognoscit quidem D. Disquirens: Pannoniam Hungaros quaesiisse jure quopiam armorum, quin docendo esset: laesionem quampiam praecessisse, eamque secus irreparabilem fuisse. Nae hac ratione et Duella et latrocinia sub jure armorum defendentur, cum in omni re occupanda justus titulus et modus esse debeat, secus non acquisitio, verum violentus raptus esset. Cum res nullius jam non fuerit, ut primi occupantis esse posset.

Ad 2. Graece, non mirùm, quod per Ausoniae fines sine lege vageris. Non est enim hic quaestio de more apud Graecos scribendi; nam in eum casum plura, forte Disquirenti aeque ignota adferri deberent. Verum cum plures fluvii sint, qui nomine Savi veniunt, aut simili circiter nomine compellentur, quaestio solum est, quem Constantinus Porph. intellexerit. Relate ad Satzavam responsum est jam ad § 48, et ibi attactos. Ita quoque superbe rejicit Disquirens: *Salam*,

Digitized by Google

quae tamen maximo Saladiensi, Savariam, quae Sabariensi Comitatibus, et *Muram*, quae integrae Insulae Muraköz nomina dedere, simpliciter seu ignobiles.

Ad 3. Non etiam quaeritur: Quid Constantino Porphir. licuerit, aut non licuerit, et aliis in fluviis nominandis, verum quid spectato contextu reipsa dixerit. Et si Bryennio Savus *Sagia*, cur etiam non *Sagyva*, aut *Sagva*, *Szadva*, quae circumstantiis conformiter magis sumi posset pro Porphir. *Saba*, quam Savus Croaticus. Ita quoque potuisset emanere cum suo b. et v. cum hic non de litteris, verum de fluviis res discutienda sit. Nec levitatibus locus.

Ad §§. 53 et 54. Sustinet Disquirens Dravi nec fuisse opus meminisse. Suffecerat dixisse intra Danubium, et Savum subintelligendo omnes Ditiones (equidem valde amplas) his fluviis comprehensas. Indubie a scaturigine usque ad exostiationem horum fluviorum. Quasi C. 40 non nominasset: Temesim, Crisium, quibus Dravus prorsus non cedit. Ranzani T. I. pag. 337 apud Schvandtner. At ubi (Danubius) per aliquot passuum millia, infra urbem, quam vocant Quinque-Ecclesiae Dravum excipit, et ipsum quidem insignem fluvium. Et C. 38 nominaverat: Baruch, Cubu Trulus, Brutus et Seretus. Aliud est quod Vagi et Grani mentionem non fecerit, quia totam magnam Moraviam dixit. Et ita nec Dravi mentionem omnino facere debuisset, — si dixisset: universam Pannoniam. Verum plagam limitavit intra Danubium, et Sabam fluvium, cujus postremi nominis cum plures fluvii sint, non potest pro lubitu quiscunque assumi, sed talem quaerere oportet, qui maxime scriptoris menti correspondet. Hic autem quid sibi non contradixisset, si intra Danubium et Savum Croaticum reipsa Hungaros habitare intelligi voluisset, dum dixit: trans Danubium ex parte Loci suae Commorationis eos habitare, et postea protulit: intra Sabam, et Danubium. Si scripsisset id in Bibliotheca Pestana, staret Disquirentis praetensio; ast non, si Thessalonicae.

Digitized by Google

Cum itaque supponi non posset, quod Augustus Scriptor pro instituendo filio laborans sibi contradicere voluisset, necessario alibi fluvius Saba quaerendus est, quam in Savia.

Ad 2. Sed unde quaestionata Imperii Orientalis, et circumjacentium Regionum descriptio elaborata est? et quare illi per omnes eos, quorum aliqua ad §. 17. jam pars adducta est, qui alios, et alios fluvios pro Saba Constantini Porphir. substituunt, contradicitur? Ita quoque Porphirogenitus de eo, quod magna Moravia in provincia Sirmiensi incipiat C. 10. nec jota habet, sed Sklenar potius haec dixit, et Katona ad umbras ejus haec rejecerat.

Ad §§. 55. et 56. Quam miserabiliter per Disquirentem obstructus sit Unius e Croatis alveus in Geographicis vidimus. Videamus etiam in Historicis.

Ad 1. Ubi habet Augustus Scriptor ad flumen Danubium (Savum). Ergo Savus Croaticus jam erit Saba, jam Danubius? Quid etiam horsum pertinet: An Avares fuerint e Slavica, Hunnica vel Hungarica progenie, vel prorsus distincta ab his nationibus Natio eorum exstiterit. Hi quod jam distinctum regimen non habuerint, verum dispersi, et cum Croatis, quibus teste Porph. C. 30. parere coacti fuerant, et reliquis Slavis commixti pro homonymis sumebantur. Ubi hanc quaestionem Unus e Croatis excitavit? Hic citavit solum Porph. C. 29. ubi clare videtur: Sclavinos, qui et Avari dicti, et C. 30. Ubi Avares, quos ab initio Sclavicas Nationes compellabat, velut in his partibus utique Slavis aboriginibus mixtos, postea ubique Avares memorat. Hi caeteroquin a Scriptoribus aliis, et aliis nominibus compellabantur vel a locis, quae incolebant, vel a nationibus, quibus commixti erant, vel socii, sicut in Lucio apud Schvandtner T. III. p. 69. habetur: *Slavos autem socios Avarorum fuisse ex Zonara, et clarius ex Theophylacto Simocatta in Mauritio constat.* Hoc etiam unus ex Hungaris ignorare non deberet. Quoad autem Tuum Attilam, Chronologiam ibidem in Lucio

Digitized by Google

paulo superius videbis: nisi mendum annorum numeri in Codice Porph. ponatur, ipsum male supputasse oportet, ne ad Attilae tempora supra refutata Salonae destructio referatur.

Ad 2. Hic agitur de illius loci Avaribus, ubi contra eos Dalmatae Danubium tuebantur, quem etiam hi ad eos expilandos transibant, et per quem illi ad occupandam per insidias Salonam, ac Dalmatiam, quae se teste Porph. C. 29. usque Danubium extendebat dicente: *Istorum vero Romanorum termini extendebantur ad flumen usque Danubium*, transire debebant, et ibi dixit Hungaros suo tempore Nomadum instar vivere. Teste Mikoczi p. 98. Mauritii an. octavo Romanos inter ac Avares Ister statutus fuit limes. Hoc praemisso narratur, quomodo iidem Avares per Croatas pulsi sint. Fingit proinde Disquirens hic, quod contextus non habet, et tempora non distinguit. Secus debuissent Hungari per omnes plagas, ubicunque Avares pedes fixerant, eorum vestigia premere, et iterato inde pelli, sicut et Avares pellebantur.

Ad §§. 57. In hoc citatur unus e Croatis. Ad 58. et quidem ad 1. An seculo 7, 8, aut 9. vel omnibus istis Croatae, Dalmatini et Savini fuerint liberi, et sui juris, vel non, parum ad rem; hoc tamen certissimum, quod nulli horum Hungaris subjecti fuerint; cum Const. Porph. Scriptor circa dimidium Seculi decimi nihil horum referat. Quid hic Cotzelin intra Dravum, et Sala, et §. 8. inter Drava et Sava flumina Regnum tenuit? Et habes rectum, quod Cotzelinus, et ejus filius Braslavus fiduciarii Francorum, ad Croatas seu Dalmatinos, seu Savianos nihil pertinuerint. Cum ab hinc ultra Dravum ubicunque demum fuerint.

Ad 2. Quid Constantinus Porph. habet C. 30. Saviam? Et quid licet aliquid ad verba Scriptoris addere ad proprium scopum? Statne argumentum ubique a posse ad esse? Quid Croatae, qui Seculo 7 aut pace mea etiam octavo e Dalmatia discesserant, et Illyricum, atque Pannoniam occuparunt Hungarorum, qui circa finem Seculi primo noni ad Europam

Digitized by Google

venerunt, juris evaserant? Sed ubi satis disputatum est, et jam etiam evictum, quod ante tempora S. Ladislai et Colomani neque Dalmatici, neque Illyrici, neque Pannoniae Saviae Croatae Reges Hungariae pro suis uspiam agnoverint. Praetensum autem utique ex aëre per quosdam scribilantes Hungaricum plane jugum Croatae semper ridebant, actuque rident, nec responso dignum hodiedum reputant. An autem Basilii Imperium, aut protectionem agnoverint, vel non agnoverint ad Hungaricum Dominatum, nihil confert. Ultro legas: Const. Porph. C. 29. Deinde, ut dixi, per imperantium ignaviam atque socordiam retro lapsae sunt res Romanorum, factique Dalmatae sui juris, neque Romano Imperatori, neque cuiquam alteri paruerunt. Et hoc pag. 77. ubi 75 dixit: quod Croatae, qui Dalmatiae Oppida habitabant, sui juris exstiterint, neque Romano Imperatori neque cuiquam alteri subjecti. Baptisati, et non baptisati fuerant sui juris. In reliquo Cedrenus Monacus Graecus Seculi est quidem 9. verum teste Dizionario dal S. Abbate Ladvocat T. II. Quest' opera e una compilazione fatta senza Scelta, e senza discernimento. E. Zonara Istorico Greco del XII. Se. Sed et hic Disquirens confudit Basilium II. cum I.

Ad 3. Quam temere hic dicit D. Disquirens: »*Constantinus limites usque Dravum ignorat, quin negat quoque.*« Et Codice Dipl. T. I. pag. 5. »*Si fides Constantino Porphirogenito (de adm. Imp. C.* 31.*) Ex oris maritimis ad Dravum usque ac Carinthiam inclinante Graecorum in occidente imperio, potestatis suae limites protulerunt.*« Et quid non dicit in limine C. 30. de Dalmatia: »In latitudine vero ad Danubium flumen se extendebat.« Hic etiam habet: Serblia in septentrione Chrobatiam, in meridie Bulgariam. Ubi hoc Unus e Croatis negat? Quae ratio haec subticendi fuisset Croatae, cum hoc prorsus nihil ad jura Hungariae in Croatiam conferat; e contrario dum Serblia habet Croatiam a Septentrione, confirmatur Croatia in Sirmio atque inferiori Slavonia fuisse

Digitized by Google

tempore Constantini Porph., consequenter eam nec Arpadus nec Zulta habere potuerit.

Ad 4. Ubi falsum est suppositum, quid concludit argumentum? Falsum est, ut saepius evictum, quod S. Stephanus seu Quinque-Ecclesiensi seu Bacsiensi Episcopo in Slavonia dare aliquid vel potuerit; quodve fluvius Almáš in stricta Slavonia sit. Vides ergo, Geographe, qualis Tua ex praemissis consequentia, quamve subsumas immature, et triumphum canas praemature.

Ad §§. 59. et 60. Disquirens impugnat Diploma Andreae II., qui Dux perprius fuit Slavoniae et postea Rex Hungariae, utriusque proinde optimam notitiam habuit. Ecclesiae Quinque-Ecclesiensi datum, et per utramque partem recognitum, et praefert ei, quod si non suppositum, certe multo dubium, prout videre fuit in Responsis ad §§. 16, 17, 18 et 42. Diploma Stephaneum, et rejectum in responso ad §. 19. Radonis Palatini, quae si etiam genuina essent, ad haec Regna prorsus inapplicabilia forent; cum Kvarok in Slavonia ne quidem inveniri possit, indubie exsicatus, aut in Hungariam transiit, sicut et Almáš, aut mons post fata S. Stephani et Ladislai metamorphosim hanc causavit, ut jam ad imaginariam lineam confugiendum veniat. Quae forte fingi non deberet, si Pray ann. V. pag. 343 audiretur, et ibidem citatus anonymus Belae Regis Not. ubi legitur: »Anno Dominicae Incarnationis 907. Dux Arpadus migravit de hoc seculo, qui honorifice sepultus est — supra caput parvi fluminis, qui descendit per alveum lapideum (kő árok) in civitatem Attilae Regis, ibi etiam post conversionem Hungarorum aedificata est Ecclesia, quae vocatur Alba, sub honore B. Mariae Virginis.« Aut Schvardtner Statisticus pag. 51. ubi Savus ad Balaton occurrit.

Ad 2. Intuitu Belae Regis Notarii sensa Unius e Croatis videntur in Responsis ad §§. 9, 10, 11, 13 et 17, ut adeo ea repetere fastidiosum esset. — Quantum ad Joannem Ar-

Digitized by Google

chidiaconum Gverche. Hic in Tuo §. 19. inducit Andreae Regis fratrem fuisse Adalbertum, et in praesenti Belam plane Slavoniae Ducem, qui cum Regni Palatino Radone aliquem Regem Croatiae Anno 1056. aut 1057 Sirmio spoliasset, non obstante eo, quod idem Sirmium jam ab anno 1019 usque 1081 in manibus Graecorum fuisset, cumque intra hos annos necessario priores contineri deberent; sic Rex Croatiae eo, quod non habuit, Sirmio nempe spoliari prorsus non poterat. Sed neque per quaestionatam Slavoniam usque Zetinam Tilurum limites Hungariae protrahi. Ita parum etiam sustineri posset S. Stephani cessio propter quaepiam praetensive per Cresimirum ei contra Conradum praestita auxilia, quod ex proprio Disquirentis supposito usque annum 1019. Croaticum postea Graecum fuisset usque annum 1081.

Quantum ad Andream Dandulum in Annalibus, quod Petro Barbolano seu Centranico Duce Andreas Hungariae Rex continuo Dalmatinos inquietans aliquos tandem ad deditionem coëgerit; verum hoc cum Principatu Centranici, qui anno quarto, quo imperare coeperat, Christi 1032 ejectus fuerat in exilium; Andreas vero Regnum adeptus est longe tardius, reconciliari non potest. Samuel Timon in Synopsi novae Chronologicae Hung. Croat. Dalm. pag. 13. ait: »*At vix credibile est. Qui enim turbasset Dalmatiam nondum subacta Croatia? bello insuper germanico intentus.*« Sed nec de Salamone hi historici Mithi sustineri possunt, ex quo res cum septimo Ducis Dominici Contareni anno non conveniat, prout uberius legi potest apud Farlatum T. I. pag. 223.

Cinnamus Scriptor Sec. 12. de hoc juvat audire Gebhardi T. I. pag. 500 in Nota sub g. »Cinnamus begehet sehr grosse Fehler gegen die Staatengeschichte, und Sitten der Hungarischen Könige. Er hält z. E. den Stephan und Almus für Ladislai Söhne, und glaubt, man habe allen Prinzen die Augen ausgestochen, sobald dem regierenden König ein Sohn

Digitized by Google

geboren worden.« Caeteroquin hic nec tempus designat, quo id accidisset, adeoque de hoc facto nihil dici potest.

Constantinus Porphir. dicit quidem: habitant trans Danubium in terra Moravia, atque etiam ulterius inter Danubium et Sabam, et non Savum, prout false scribit D. Disquirens. Sed Pannonia Savia nec fuit Moravia, nec Savus Croaticus fuerit scribenti trans Danubium. Adeoque nihil ad rem.

Zonaras, et Cedrenus quantaecunque fidedignitatis essent, hic nihil probarent. Cum Belgradum, et Morava ad quaestionem nihil pertineant.

Belgradum etiam fuit, et est in confinio Hungarorum exclusive; ergo propterea esset Savia Hungaria. Negatur consequentia.

Ad 3. Katonajanum argumentum quam ridiculum sit, ostensum ad §. 16. Sed nec minus ridiculum, quod ideo Muncimirus Epocham Franciae Rngum suo Diplomati ideo non praefixisset, quia Hungaris subjectus fuisset, ut potius inde argumentari liceret, quod cum suo in Diplomate nullam Epocham seu Regum Franciae, seu Imperatorum, multo minus Hungarorum praeposuerit, a nullo dependens exstiterit. Ratione Anonymi B. R. Notarii relegatur Disquirens iterato ad responsa §§. 9, 10, 11, 13 et 17. Porphirogenti dicta explicat responsum ad §. 17. et subsequos. Quomodo Dravus intelligatur etiam jam declaratum, et hic perperam trahitur ad superiorem Slavoniam, ubi de limitibus Episcopatus Quinque-Ecclesiensis agitur. Thomas Archidiaconus dum progressum armorum S. Ladislai narrat, non revocat sua dicta: »*Habebant namque Reges Croatiae ex successione suae originis Patrum et Proavorum dominium Regni Dalmatiae et Croatiae. Itaque Regni eorum confinia: Ab oriente Delminium, ubi fuit Civitas Delmis. Ab occidente Carinthia versus mare usque oppidum Stridonis, quod nunc est confinium Dalmatiae et Istriae. Ab aquilone vero a ripa Danubii usque mare Dalmaticum cum tota Maronia et Culmtae Ducatu.*«

Digitized by Google

Ad §. 61. Sunt dicta Unius e Croatis. Ad quae aliud non est advertendum, quam quod Disquirens de citato Kercselich dicta pro suo more truncaverit, et in locum: in Archivis Croaticis, quae sibi caeteroquin pauca patuerunt, illud *pauca* studiose exmiserit, et recte contrarium induxerit, quam scribens voluit, quod nempe ei patuerint. Bone Deus! quam nuspiam citationi Disquirentis credi possit.

Ad §. 62. Cujus Andreae Andreano cedere debeat Diploma ex hoc §. non intelligitur: Scripta coaeva, aut supparia serioris aevi praeferenda sunt, si sunt genuina, et quaestioni applicabilia hocque in regula. Et secus non, secundum Croatica principia.

Ad 2. Unus e Croatis in extradatis brevibus suis animadversionibus nullos §§. habet, consequenter citatus §. 17. N. 1. 2. non minus figmentum est, quam et No. 2. et No. 4. ex proprio disquirentis cerebro procusi.

Ad 3. Kercselichio Unus e Croatis assurexit jam ad §. 13. Recognoscit quoque, se nullum Diploma procudisse, et dat verbum suum, quod ad fabricanda talia, quale Disquirens Capituli Varasdinensis haberet, se immittere nolit. Transeamus etiam

Ad Diplomatica.

Ad §§. 63. et 64 unice ad 2. posterioris; cum de Diplomate Stephaneo, Radonis Palatini et scriptis Kollerianis jam sensa deprompta sint. Illud solum singulare, quod Diploma Stephaneum circa Episcopatum Quinque-Ecclesiensem nec compellari posset: litterae fundationales, nec reambulatoriae, nec constitutionales, sed constitutivae, vere novus Juris technicus Terminus. Ideo ergo indubie factum, quod Bonipertus constitutus sit, jam anno 1008. Episcopus, cum teste Cod. Dipl. T. I. p. 287. jam hoc anno a Fulberto Carnotensi Episcopo gratulationem, et unum Priscianum obtinuerit, et Episcopatus primum 1009 constitutus sit. Facile has

Digitized by Google

esse constitutivas, et in Cod. Dipl. T. I. p. 291. et 292. erectivas; cum illae abundent: in *scilicet*, *proferimus*, *inde*, istae in his deficiant. Et istae iterato abundent penes Azonis: *Episcopi*, *posuimus*, in quibus illae iterum deficiunt. Quae autem genuinae sint, parum ad rem, cum originales jam non extent, et Liber Regius necdum ductus fuerit. Quod autem limites hi ad Saviam trahi nequeant, jam ostensum etiam ad §§. 18 et 42.

Ad 3. Sufficeret replicare: Undecunque aliquid desumatur, quod genuinum in sua origine non fuit, a loco, unde subin levatum est, genuinitatem non accipit. Cum itaque Exemplar in praesenti Disquisitione ab eo, quod in attacto Cod. D. T. I. pag. 291. et 292. habetur, ut videre fuit, in pluribus discrepet, cuperet Unus e Croatis scire, unde praesens desumptum sit? eum vix posset taliter discrepans utrumque in Archivo Camerae pro genuino servari.

Ad §§. 65. et 66. Cum prior videatur Unius e Croatis verba continere; posterior vero in Kollerii Refutationem saeviat, quin quidquam probet, moram non merentur.

Ad 2. Si etiam Monogramma conveniret cum aliis; adhuc tamen totum confectum non esset. Cur enim solus Azon alibi cum, alibi vero absque titulo Episcopi positive nominetur inconsveto nomine Nuncii, alii autem Episcopi, Marchiones plane, et Comites generaliter solum commemorentur.

Ad 3. Unde habet D. Disquirens, quod Romanorum Pontificum fuerit, Domi habere Apochrisarios, ad Principes vero ablegare Nuncios. Quid jam Vir Erudite, ac perdocte! oblitus es lingvae Graecae? Quid tantum scis *v*aca *b*aca, Sa*v*us Sa*b*us. Quid jam oblitus es, quid Apochrisarius significet? Quid non Responsalis, quod responsa seu Mandata eorum exequerentur, a quibus missi erant? Ita Pelagius Ecclesiae Romanae Diaconus Agapeti Papae apud Justinianum Apochrisarii munere fungebatur. Ipsemet Gregorius M., dum adhuc esset Diaconus sub Pelagio II. Pontifice Responsalis

Digitized by Google

munere Constantinopoli functus est. Ita ubi Carolus M. Imperium Romanum restituit, Pontifices in Aula Imperatorum Francorum Responsales suos habebant. Quid quod in proprio Dipl. Codice. T. II. pag. 37. et 38. A. Ch. 1103. »*Ego Augustinus S. Romanae Sedis Cardinalis missus a Domino Papa Paschali in Dalmatiam, et Hungariam Apochrisarius.*« Porro ibidem pag. 59. in Dipl. A. Christi 1117. »*Et Romanae Sedis Apochrisariorum.*« Ecce quanta cum constantia, et integritate scribatur.

Ad 4. Detur etiam, quod A. 1044. Jaurinum *Jaurenk* Aloldus de Peklar dixisset, sequiturne, quod jam anno 1009 etiam solus Stephanus hanc nomenclationem habuisset? Rectum habet Mabillonius, quod legitimis authographis defectus non essentialis obesse non debeat. Sed hoc recte in quaestione est: num alicubi Diploma hoc authographum sit, ut videri posset: an genuinum sit, anve si etiam genuinum esset, ad praetensam Savoniam possit trahi? Cum pluribus omnino suspectum sit, ad Savoniam autem prorsus inapplicabile foret.

Ad §. 67. Dicta Unius e Croatis.

Ad 68. Si Croatensium Episcoporum Jurisdictio usque ad Dravum ideo agnoscitur, quia Thomas Archidiaconus ita dixisset; non videtur, cur ex identitate rationis usque Danubium agnosci non deberet, quia idem etiam hoc habet: »*Ab aquilone vero a ripa Danubii usque mare Dalmaticum.*« Distinctiones plane inter Dravum, et eundem Dravum eo minus hic licet facere, quod Andreas II., cujus Diploma ab utraque parte qua genuinum assumitur, de illa parte Dravi intelligi debeat, in qua rectificasse limites recognoscitur. Cui Stephaneum, quod praeterquam, quia ad Saviam nullatenus trahi possit, ex eo etiam praejudicare nequit, quod recte ex hoc respectu communiter suspectum esse censeatur.

Ad 2. Si Episcopo Quinque-Ecclesiensi nulla ratione Decimarum Slavonicarum eotum injuria illata fuit, quando eatenus inter Zagrabiensem et Bosnensem Processus decurrebat,

Digitized by Google

cur postea praetendebatur, ut cum per legalem sententiam a praetensione rejectus sit Quinque-Ecclesiensis, hoc ipso Zagrabiensis prius ibi constitui debuit, quam Quinque-Ecclesiensis, cum non sciatur, quis ante Episcopum Zagrabiensem easdem Decimas traxisset: consequenter cum constitutione Episcopatus Croatensis seu Zagrabiensis huic obtigerint. Quod eousque supponi debet, quousque alter quispiam cum Privilegio sibi dato non prodierit.

Ad §§. 69, et 70. Prior §., quia dicta unius e Croatis reassumsisset; posterior vero, quia idem jam toties adducta iterato plane ad nauseam repetit, ulteriori refutatione eo minus eget, quod ad unam occasionem, qua id factum fuisset, et Salanus, et S. Stephanus et Desiderius Colocensis Episcopus, qui tamen ad unum, et idem tempus nullatenus contrahi possunt, referatur. Ad quaestionem, qua pace? Cum Disquirens promittat, se tunc eatenus responsum daturum, quando abhinc dabitur, qua Slavi et Avares Dalmatiam retinuerint. Verum Amice! hi Dalmatiam non retinuerunt, sed qua fraudulenti non postulata de latronibus vigilibus satisfactione, contra omne sanum jus gentium Dalmatiam justis possessoribus injuste eripientes, per Croatas jure Romanorum ex indultu Heraclii inde pulsi sunt. Slavi Croatae autem pacificationem probare non debent, quod totam Dalmatiam, quae teste Thoma Archidiacono a ripa Danubii usque Mare Dalmaticum se extendebat, ab injustis occupatoribus receperint, et realiter etiam actu eam possideant. In Hungaria in possessorio constitutus jus suum probare non debet, cum pro jure possessorium pugnet. Verum iis proba tituli et modi incumbit, qui extra possessorium constituti certam solum particellam inde postulant: quomodo aliquando ad se pertigisset, qualiter dein amissa exstitisset.

Ad 2. In rebus revindicandis evidentia postulatur, et non quaecunque remotae conjecturae, et actum agere.

Digitized by Google

Ad §§. 71. et 72. Cujus caput confuderit Donatio Radonis Palatini, referre non oportet, cum res patula sit, quod etiam Disquirentis confuderit. Et cum ea, quae hic desiderari videntur, in responso ad §. 19. haberentur, hic non repetentur.

Ad §§. 73. et 74. Responsum reperiet aeque in replica ad §. 19.

Ad §§. 75. et 76. prioris sunt verba Unius e Croatis. Posterioris iterato Diplomata Andreana, distinguit Disquirens ad 1. inter *patenter* et *privilegialiter* expedita, quasi hoc essentiale esset Privilegiorum et clause expediri deberent.

Ad 2. Aliis jam secus saepe refutatis illud hic peculiare est, quod pars Slavoniae jam anno 1009, recte quo constitutivum Episcopatui Quinque-Ecclesiensi tenore §. 17. concessum fuisset, contra claros tenoris §. 18. Diogeni Duci Sirmiensi paruisse hic praetendatur.

Ad 3. Ratione anni, quo *Zache Palatinus* fuisse per Unum e Croatis dicitur, D. Disquirens relegatur ad proprium Scriptum §. 75. Et non decipiat lectores in manifestis, et per se alibi recognitis. Ratione vero mortis Henrici Sponsalium item Salamonis cum sorore, ut ipse Te exprimis Henrici IV. filii Henrici III., relegatur Idem Disquirens ad responsum intuitu §. 19. An autem et quae bella, quamve ob rem Hungari cum Graecis, ac ratione qualis Sirmii gesserint, hoc horsum non pertinet, verum an *Rado* Palatinus anno 1056 cum fratre Andreae sive Bela sive Alberto ratione Sirmii Slavonici cum Croatis bellaverit, aut vel bellare potuerit, si Sirmium in manibus Graecorum usque an. 1081 fuisset inde ab an. 1009, sicut Tu hic statuis, vel 1019, sicut alibi praetendis, hic nodus latet.

Ad §§. 77. et 78. Si Bela Slavoniae Dux, dum inde Croatas usque Zentinam pepulisset, non fuerat, cur §. 19. sub nomine Adalberti per Disquirentem talis asseritur. *Andreas .... Adalbertum fratrem fecit Ducem Slavoniae* et §. 60. *Belam fratrem suum Ducem Slavoniae constituit.*

Digitized by Google

Ad 2. Asserta Anonymi Belae Regis Notarii, et Unterkreiner Hungari? Qualis proba?

Ad 3. Quanta Croatarum potentia, et quibus temporibus, et quibus paruerint? hoc horsum non pertinet. Verum quod Hungaris paruissent, hoc remonstrandum esset.

Ad 4. Etiam hic figmenta ultra asserta Anonymi adferuntur; cum hic nihil habeat, Citato C. XLIV. eatenus. Et si etiam haberet, tantum probaret, quantum ostensum est ad §§. 10. 11. et 13. 17. 60. punctum 2. Transeamus vestigia Disquirentis secuti ad

Politica.

Ad 79. et 80. §§. Si Scriptoribus Hungaris ex Historicis Mythis licet cudere fundamenta pro Jure publico edendo, et silentium Croatarum in Consensum trahere; quid non licebit Croatis cum veritate distributivae, ut ajunt, justitiae prodire? Estne haec regula verae Politicae, ut inferioris Slavoniae Comitatus cum Hungaris contribuant, et paria onera ferant, cum Croatis autem onerosius insurgant, quin in ullius Partis favoribus participent? Noverit Disquirens, quod Historia doceat, quid factum sit, Statistica quid fiat, Jus quid fieri debeat, et veri nominis Politica, quid salvis justitiae legibus fieri expediat. *Justitia fundamentum Regnorum.* An igitur non expediret: ut justa gravamina, et postulata Confratrum per eos, ad quos pertinet, suo Loco proponantur, et remedium ab Eo quaeratur, qui illud ferre potest, nec ulli injuria fiat. *Aequa divisio non conturbat fratres*, quam insensate permittere, ut una Consociorum pars improportionate gravetur, et alienum animum ab utraque parte foveat. An non haec anomalia eo opportunius modo tolli posset, posteaquam an. 179$^{0}/_{1}$ art. 58. activitas Excelsi Consilii Locumtenentialis Hungarici ad superiorem quoque Slavoniam extensa est, et vi art. 59. contributio Regni Croatiae, ac trium Superioris Slavoniae Comitatuum in Diaeta Regni Hungariae etiam pertractatur, licet separatim. Quod quid prohibet etiam pro toto Regno Slavoniae

Digitized by Google

fieri? Quid non Augusta olim Regina Maria Theresia 150,000 fl. anno 1773 ab his Regnis ita postulabat, ut onus hoc per Regnorum horum tam superiores, quam inferiores Slavoniae Comitatus divideretur? Et si tunc ex parte Regiminis desideratae unioni in materia etiam Contributionis nihil obstabat, quid modo obstare posset? An haec sint suo Loco, ac tempore, solum ille quaerere potest, cui non sunt cognita omnium rerum adjuncta, ac perniciosarum Collisionum hic latens fomes.

Ad 2. Essetne hoc suo loco, ut quis cedat sua, et pro cessis quaerat indemnisationem in alienis? Quid tot linguae, quot Dialectus? Quid si non eadem Dialectus, propterea et lingua discrepet? Estne cum Styris et Carniolis, licet sit eadem lingua, etiam eadem Dialectus Croatis? Quod linguae hujus perito ignotum esse non potest. Quantum ad provocatum Kercselichii testimonium Scriptoris Saeculi 18, istud art. 2. 1492 praejudicare non potest. Ibi enim inter articulos Nobilium 2. habetur: »Si Majestas Sua Incolis Regni Hungariae, quibuscunque ex rationibus nunc, et temporum in successu aliquas solutiones fieri statuerit; extunc talium solutionum medietatem in Regno suo Sclavoniae juxta ipsorum consvetudinem semper, et usque haec tempora observatam exigere habeat, et teneatur.« — Quod autem inferior quoque Slavonia hic includeretur, ex Disquirentis etiam Diplomate in prima Parte sub XXV ad annum 1496 producto patescit, cum ibi clare dicatur: *Regnum Slavoniae contra Turcas praecipuum Scutum, et potius antemurale Regni Hungariae esse.* Quod secus fieri haud potuisset eotum, nisi inferior etiam Slavonia inclusa exstitisset, prout ad hunc Numerum, et X. uberius ostensum. Sed confirmat etiam istud constitutio in congregatione generali Dominorum, et Nobilium Regni Slavoniae an. 1538 Crisii celebrata. Ibi enim art. 14. loca Depositionis victualium: Veröce, Ujudvar, et Velike est videre, quae omnia loca habentur in inferiori Slavonia, et in specie Veröce est

Digitized by Google

Caput Comitatus Veröcensis, et Velika in Posegano. Ita quoque semper tractabantur. Sic art. 12. an. 1351 legitur: Lucrum etiam Camerae Nostrae Nobiles inter fluvios Drava, Sava, et de Posega, et Valko cum aliis viris nobilibus Regni Nostri unanimiter solvere teneantur, nec ratione Collecturae Marturinarum a modo, et in posterum molestentur. Marturinae autem vigore art. 27. an. 1222 juxta consvetudinem a Colomano Rege constitutam, qui etiam nummos cum Marte cudi curaverat, solvebantur. Confirmati in hac Marturinarum Contributionis specie per Adalbertum, et Uladislaum II. Quod autem articulo superius citato 12. an. 1351. Veröcensis Comitatus et Sirmiensis non attingatur, ratio videtur fuisse ea, quod Veröcensis totus caeteroquin inter Dravae et Savae fluvios contineatur, Sirmiensis autem solito more etiam inter hos fluvios censeatur, ut saepius visum.

Hunc Slavoniae Regni titulum etiam Uladislaus II. e politicis sui potissimum temporis rationibus adhibere coeperat, et usum hunc subsequi Reges continuarunt; a temporibus. Ferdinandi I. in omnibus publicis Decretis, Rescriptisque Regum omnium horum trium Regnorum vestigia habentur, quin Regnum Croatiae per id seu aliquid perdidisset, seu lucratum fuisset, sicut nec Hungaria, si quis Regum Cumaniae Regni titulum assumeret. Caeteroquin Slavonia est nomen etiam commune omnibus his tribus.

Ad 3. Quantum figmentum, quod Unus e Croatis quaestionem quampiam movisset: an Croatia ac Slavonia Regni Hungariae sint dicendae partes subjectae, vel adnexae. Videat Disquirens paccatiori animo suum §. 79. e verbis unius Croatae descriptum, et capacitabitur recte de contrario. Adeoque eo minus hic esset quidpiam dicendum; quanto certius est, in legibus adesse non pauca vestigia, ubi neutrum praetensorum Regnis his applicari possit. Ita art. 1. an. 1492. Imprimis quod Regia Majestas Regnum Hungariae cum caeteris Regnis scilicet: *Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae,* et Partibus

Digitized by Google

Transilvanis, ac Provinciis sibi subjectis. Art. 13. An. 1464 Regnum nostrum *Slavoniae*, et partes *Transilvaniae* in omnibus antiquis bonis, libertatibus, consvetudinibus, et juribus suis conserventur. Art. 27. an. 1600 *Regnum Slavoniae* Sua Majestas Caesarea in suis libertatibus, et Authoritatem Banalem in Expeditionibus, et Insurectionibus conservare dignetur. Art. 9. an. 1608: Limitatio istorum in *Slavonia* et *Croatia* fiat statim per D. Banum cum Regnicolis. Art. 33. an. 1649: Ut Regna *Croatiae* ac *Slavoniae* in suis libertatibus conserventur. Art. 66. an. 1681: Regna *Croatiae* et *Slavoniae* .... juxta leges, et Consvetudines suas insurgant. Art. 23. a. 1687. Ex b. Suae Majestatis annuentia conclusum est, ut in iisdem *Dalmatiae*, *Croatiae* et *Slavoniae* Regnis secundum Municipales eorundem leges hic loci confirmatas. Art. 114. an. 1715. Ut Comes Banus Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae, et ejusdem in officio successores. Art. 118 ejusdem anni: humillimis petitis SS. et OO. memoratorum Regnorum *Croatiae* et *Slavoniae*. Et 119: Liberi quaestus inter Regna *Croatiae* et *Slavoniae*, vicinasque ipsis Provincias, nec non 120: De statutis Regnorum *Dalmatiae*, *Croatiae* et *Slavoniae* hactenus confirmatis, et aliis per Suam Majestatem deinceps confirmandis in quaestionem non vocandis. Art. 86. §. 2. an. 1723. Ne in praefatis *Croatiae* et *Slavoniae* Regnis etc. Art. 31. an. 1729. De modo Transmissionis Causarum in et ex Regnis *Dalmatiae*, *Croatiae* et *Slavoniae*. Art. 46. an. 1741. In praefatis *Dalmatiae* et *Slavoniae* Regnis Diplomatice, et articulariter stabilitae. Art. 47. an. 1741: praefatorum *Dalmatiae*, *Croatiae* et *Slavoniae* Banus amodo, et imposterum a potiori intra limites Regni permansurus in plenam, et legalem authoritatem, atque Jurisdictionem juxta etiam art. 114. an. 1715. et art. 87. an. 1723 hic loci confirmatos reponendus, atque in eadem conservandus statuitur. Art. 35. et 36. an. 1751. Ex parte vero Regni *Croatiae* et *Slavoniae*. Et in posteriori: Ut in Regnis quoque *Dalmatiae*, *Croatiae* et *Sla-*

Digitized by Google

voniae in causis etc. Art. 26. an. 1790. Regna proinde *Dalmatiae, Croatiae* et *Slavoniae.* Sed et jam olim Sigismundus an. 1403 in titulo: Rex *Hungariae, Dalmatiae, Croatiae,* et §. I. habet: in Regnis Nostris *Hungariae* et *Slavoniae.* §. 2. In Regnis Nostris praelibatis *Ungariae* et *Slavoniae* nec non partibus *Transilvaniae.* Et § 12. In praefatis Regnis Nostris *Hungariae, Slavoniae* et partibus *Transilvaniae.* Item 1404. Rex *Ungariae, Dalmatiae, Croatiae.* Ita quoque an. 1405. Decret. II. et III. nec non aliis non absimiliter et alii successores ejus statim in limine compellabant se: *Dalmatiae, Croatiae* Reges, et in articulis tantum *Slavoniae* mentio occurrit. Sed et in titulis 1. 2. et 3. Partis III. non partes Regni Hungariae, verum distincta Regna *Dalmatiae, Croatiae* et *Slavoniae* specificantur Sacrae duntaxat Coronae subjecta, et incorporata, consvetudinibus a lege Hungarica, et consvetudinibus hujus distantibus, atque discrepantibus conspicua. Et Parte I. titulo 13. expresse legitur: Quoniam omnes D. D. Praelati, Barones, Magnates, Nobilesque, et Proceres totius Regni Hungariae, nec non Regnorum eidem incorporatorum, ac partium subjectarum, ubi Regna incorporata a partibus subjectis distinguuntur.

Occurrit quidem in pacificatione Viennensi 1606 ad punctum 9. et 10. Hungariam et Partes ei adnexas; sed et simul additur: *Slavoniam* videlicet, *Croatiam* et *Dalmatiam.* Non desunt etiam vestigia simpliciter subjectarum, vel adnexarum, sed quarum partium, et quo sensu, lex non explicat. Quocunque interim sensu diceretur, tantum concerneret et alia Regna, quantum et *inferiorem Slavoniam.* Adeoque ita haec sicut Croatia et superior Slavonia legitimi juris sacrae Coronae, et huic, suisque Regibus subjecta. Jurisdictio tamen, ac territorium e legibus municipalibus, tot ac tantis Diplomatibus, atque usu tot Seculorum distincta. Ita Uladislaus II. an. 1490: Ut Domini terrestres in Hungaria residentes a Bonis in *Sla-*

Digitized by Google

vonia habitis equites Capitaneo hujus Regni subjectos praestare obligentur apud Kercselich pag. 304.

Et si etiam praejudiciosae quaepiam aliae expressiones in legem quampiam irrepserunt, eo minus operari possunt, quod citatae superius leges positive, expresse, et clare Regna compellent. Ita Scribilantes, quod in praejudicium horum Regnorum dictum est, illi expressioni pertinaciter inhaerent, ubi in favorem aliquid scriptum, aut dictum fuit, temerarie rejiciunt, aut infideliter reticent.

Ad 4. Unus e Croatis ad nullam uspiam notam se vel provocavit, vel provocare debuit; cum omnes fere Historici etiam ipsi Hungari idem sentiant. *Pray*, qui certe nihil praetermisit, quod ad gloriam Hungarorum conferre posset, rem plene ita exponit, quemadmodum in Nota Thomae Archidiaconi per nimium scriptorum Censorem *Lucium* cum integro laudati Archidiaconi opere conservata Libro III. C. 3. refertur. Quam etiam ipse Disquirens inseruit proprio Cod. Dipl. T. II. pag. 18, qua authenticum Documentum. Et quidquid sit, tantorum jurium communium, et particularium alicubi fundamentum esse debet, et quidem statim cum prima conjunctione positum, quod secus nullum eo obtinendi momentum dari possit, et quidem ita firmum, ut jam tamdiu omnes impetitiones sustinendo sit. Horum quoque inferiorem Slavoniam participem fuisse ex iis, quae sparsim dicta sunt, dubitare non licet, verum injuria temporum pro praesente generatione ammitti debebant, quin statui propterea quidquam lucri accesserit, et Aerario Regio.

Ad § 82. Hic Disquirens aggreditur etiam Scriptorem Fundamentorum, quibus ostenduntur tres inferioris Slavoniae Comitatus semper ad Jurisdictionem Regni, et Bani Slavoniae pertinuisse, dividendo: in Decimalia, historica, et Jurisdictionalia. Videamus.

Ad §. 83. Nec etiam apud nos fuerant Decimae non Juris Regii. Et recte ideo dic, amabo: An S. Stephanus contu-

Digitized by Google

lerit Episcopo Zagrabiensi Decimas de Oppidis Veröce et Lippova, de Sirmio, de Valpo, quin et de tota Slavonia? Aut jure Croatensis Episcopi Zagrabiensis habuit has Decimas? Si primum etiam contra Chronologiae possibilitatem. Mirum quod Dioecesanum suum Quinque-Ecclesiensem excluserit, et extraneo contulerit. Si secundum, ad quod Regnum pertinebat Slavonia? Si autem jure Dioeceseos, sicut placuit inferius dicere: *Quidquid autem Sava concludit fluvius, ad jus Dioecesanum, et justam Decimam Quinque-Ecclesiensem commetatur.* Quomodo, et quando ergo excussus per Zagrabiensem? Et quid ex usu in Processu fructuose se defendere non potuit? aut via etiam breviori Repositionem petere?

Quantum ad Decimas Capituli Zagrabiensis intra Dravum et Muram fluvios, et ultra Muram, potest esse etiam alia quaestio, quae enodabitur, dum bella Hungaros inter et Croatas ratione limitum gesta ad has plagas transferentur.

Quantum ad Lisznicze in quapiam fundatione S. Ladislai, ac Andreae Regum Hungariae definitione fuissent constituti ab alio fluento Lisznice totam circumeundo Posegam et ad Quinque-Ecclesiensem regirando limites, Unus e Croatis hoc fluentum in Slavonia non invenit. Lishnica, aut Lichnicza Lud. Nagy ponit solum pagum in Comitatu Zagrabiensi pag. 94. Ergo indubie in Slavonia etiam hic exsicatus, aut transivit hic rivulus ad territorium Abbatiae S. Benedicti juxta Gron in Cod. Dipl. T. I. pag. 428 ubi ita legitur: Ex alia vero parte est rivulus nomine Liszna. Et a qua Epocha: Lisznicza in Valko mutata? Et ubi est Valko, quod suae Descriptioni applicari posset? Et quid in Diplomate Andr. II. habetur Lisznica, et non Sysencza? Et Valko, et non Nolko? quaeratur proinde desideratum fluentum in sinistra Dravi parte, cum in dextra nuspiam adsit. In Saladiensi nempe Comitatu fluvius Leszencze teste Decreto XV. an. 1604 art. 8. §. 21. pars Comitatus Saladiensis ultra fluvium Leszencze. Et locus aliquis Posega.

Digitized by Google

Ad 1. Si citatum Diploma Majoris Reginae Elisabethae Disquirentem non convincit; convincat Diploma Ladislai 4. de an. 1284 apud Nicolaum Schmitth pag. 193. conspicuum. Et acta litis a. 1699 inter Bosnensem et Zagrabiensem Episcopos agitatae. Provocata ad N. XXXVIII. et XXXIX. Responsa ibidem reperientur. Quod etiam Joannis de Marczaly litteras enervat.

Ad 7. et 8. Cum scriptor Fundamentorum ab esse argumentetur; Disquirens autem sua Sophismata a posse trahat, nihil refutatum. Caeteroquin an Ujlak Banus fuerit, vel Commendans, hoc ad rem non spectat; sed quod ab Illok, quod in Comitatu Sirmiensi est, Decimas Episcopo Zagrabiensi, et non Quinque-Ecclesiensi solvere debuerit, et effective solverit, hoc ad numerum caeterorum argumentorum pro Savonia Croatica pugnantium multum confert. Ita quoque quod Lupus Rasciae Despota a Castro suo *Fejérkö* seu »Běla stèna« possessione Comitatus Posegani decimas solverit non Quinque-Ecclesiensi, sed Zagrabiensi jure Dioeceseos.

Ad 10. Hic non tam de Decimis quaestio agitatur, quam de Judicatu Bani, qui stare non potuisset, si oppidum Zdenci, quod ponitur prope Diako, ad Hungariam pertinuisset.

Ad 17. Quando, et quomodo ad usum Decimas colligendi Episcopus Zagrabiensis venit? Si ad Hungariam stricto sensu Savonia pertinuisset, et Episcopatus Quinque-Ecclesiensis, qui Chronologice prius fundatus est, ibi Episcopatum suum extensum habuisset? Hoc, amice, deberet in forma probante ostendi, et non cum meris suis posse, et admirationibus Lectoribus illudere velle.

Ad §. 84. Sub Nr. 3. 4. 12. 16. Hic Disquirens Historica Scriptoris Fundamentorum infirma ex tripode pronunciat. Sed non erunt ex toto hoc ipso invalida, nisi id quibusdam datis probetur?

Ad 3. Quantum ad explicationem census Marturinarum, et earum sufferendi rationem, haec transmitti possent etiam,

Digitized by Google

quod modum in Slavonia universa contribuendi non expugnent. Cum art. 7. a. 1439 sic habeatur: Lucrum Camerae in Regno Hungariae, Quinquagesimam in partibus Transilvaniae, ac Marturinas in Regno Slavoniae exigi consvetas more alias ab antiquo consveto exigi faciemus. Quod ipsum repetitur art. 26. an. 1492 contra atque art. 12. an. 1351 fieri tentabatur. Quoad Fumos, et portas, si etiam citatio rei conveniret, omnes eatenus Epochas haec difficultas non tangeret. Et ratio mutandi contributionem non solum hanc mutatam indicat, sed et Territorii Jurisdictionem confirmat. Quam etiam nulla dispensatio in non dispensatis tollit. Et dum non soli Comitatus Superioris Slavoniae, sed integra Slavonia ad dignitatem Regni elevata, aut potius ad quaevis dubia tollenda ex subversantibus rerum circumstantiis in ipsis tenoribus conspicuis confirmata, quando Slavonia in genere dicitur, nulla ejus pars eximitur.

Ad 7. Ad dubia circa Banatum Joannis Horvath dispellenda, sufficit inviare Disquirentem ad opus Petri de Reva Comitis Turocensis de Monarchia, et S. Corona R. H. apud Schvandtner T. II. Scriptorem H. pag. 649 dicentis: *Quorum princeps fuit Joannes Banus* in Indice sub H. Horvath compellatus. Item Turoczy in Chro. H. apud eundem Schvandtner pag. 201. et 214: *Versus Oppidum Diako ... Joannes de Horvath Banus* ingenti hostilitatis manu collecta ... in agmina Aulicorum irruit, et 217. Eisdem diebus *Joannes de Horvath Banus*. Et recentiorum Caroli du Fresne pag. 219 de Banis: *Joannes Herichart, qui et Horvath.* Nec non Szörenyi pag. 43. Ad hanc eandem Arcem Poseganam semet receperat etiam *Joannes Croatiae Banus*, dum ob invasionem, et Captivationem Reginarum .... 61. conditum est Carlovicium *a Carolo Joannis Horvath Croatiae Bani filio.* Et 63. *Joannes, cognomento Horvathus ex eo, quod fuerit Banus Croatiae sic dictus.* Fratris sui Caroli necem ulturus mentionatas Reginas per Slavoniam transeuntes .. ex insidiis aggressus intercepit.

Digitized by Google

Et vidua Regina in fluvium Bossut projecta ... pag. 65. Coepta igitur Horvathii . . Iste se primum ad arcem Poseganam recepit.. Et 67. Reliquerat hic Joannes filium unicum Carolum, qui post mortem Mariae Reginae a Rege Sigismundo in gratiam est receptus, et propter fidelia, ac utilia contra Poloniae Regem praestita servitia multis Bonis in Croatia est donatus. Recognoscit quoque hunc Banum fuisse Ratkay in opere suo: Memoria Regum, et Banorum Regnorum Dalmatiae, Croatiae, et Slavoniae.« Item in brevi Commendatorio rerum in Hungaria, Croatia, et Transilvania gestarum, operi: »Synopsis Novae Samuelis Timon adcopulato« pag. 49. A Dalmatiae Bano Joanne de Hericart (Horvathio) conjurato accepit Clissam ..... Joannes Banus de Her. et Prior Auranae fratres volunt Mariam mittere ad Reginam Margaritham Caroli caesi Conjugem in Apuliam.

Ad 12. Omnes hic congestae objectiones jam solutae sunt in Responsis ad primae Partis Numeros XVII. intuitu Ujlak et XXV. ratione confictae Distinctionis inter Slavoniam, et Slavoniam. Quod autem Capitula Bach, Péchvarad, ac de Kő in inferiori Slavonia processerint, restat probandum, et quidem valde multum. Relate ad Bosnense responsum ad XXVII. Ita de Posega ad XXVIII et XLVI. Relate ad Ecclesiam Vylak relegatur Disquirens ad Responsum intuitu Nr. XVII. Vindiciae Sirmienses. Quid demum Inquisitiones ratione pravitatis Haereticae ad Regnorum limites conferunt.

Ad §. 85. Etiam hic Disquirens falso putat Argumenta Scriptoris Fundamentorum nihil conficere, quae sunt sub N. 9. 11. 14. 15. 17. Et ideo

Ad 1. Quid sola materialiter, et in abstracto sumpta facta jam plane Jurisdictionem Ordinariam probabunt? — Quid si citata facta in concreto, prout oportet, cum subversantibus inter Hungaros et Croatas collisionibus durante per potissimum Periodi mixtae tempus fere anarchica confusione discuterentur, non aliud prodiret, quam quod Disquirens pro-

Digitized by Google

jicit? Quid non etiam Capitulum plane Zagrabiense, si argumenta sub C. posita nude assumerentur, Hungaricum foret?

Si proinde hoc non, sic nec Poseganum, et Bosnense ex eadem rationis identitate. Quid illud ad rem pertinet: poterat istud, poterat illud? Historicus debet docere: quid factum sit, et quomodo cum suis circumstantiis, et non quid fieri potuisset, aut non potuisset.— Et unde probatur: Palatini et Judicis Curiae in Slavonia Ordinaria Jurisdictio? et Bani extraordinaria? Quid sicca facta probabunt jus? An non probatum in Responso ad §. 30. quod Carolus omnes tales exemptiones a Jurisdictione Bani in Slavonia ad importunitatem petentium extortas cassaverit, et Ludovicus solum appellatas ad Curiam Regiam admiserit? Et Sigismundus, dum rem ex alio principio confundere ivisset, disposuit solum, ut mandatis praeceptoriis Palatini, et Archi-Episcopi locus detur in Slavonia, quod essent Judices Regni Ordinarii aeque, ac Banus. Unde aliquo tempore procedebant etiam Bani in Hungaria, donec res per leges definita non fuisset. Hoc etiam Tu citas in §§. 30. 32. et 33. Quid ergo hic somnias? Et mirum, si in perniciosis illis Croatarum cum Hungaris Collisionibus, ac intestinis motibus, iisque temporibus, quibus Ipsa Coronata Capita non de Regno solum, sed et de vita et libertate sua trepidabant, similes confusiones factae sunt in praejudicium debiliorum Croatarum? Ita dum Mathias etiam, quod nobiles Regni Slavoniae nec invicem ratione eligendi Proto-Notarii convenire, nec in Eum, quem Rex dixerat, consentire voluissent, Rex eos Judicio Palatini subjecerat, Banis rebus bellicis occupatis, sed quod per id adhuc majores turbae exortae fuerint, nec placari potuissent, Rex ultimatim indulserat, ut penes Banum sibi Capitaneum eligant, et in sensu art. 50. an. 1486 causantes ad Sedem seu Judicium Banorum Slavoniae spectare debeant, ac teneantur, ut uberius videre est apud Kercselich Notitiae Prael. Pannoniae Vet. P. III. pag. 288 et 289. Et an. 1490, Dominos terrestres in Hung.

Digitized by Google

residentes a Bonis in Slavonia habitis equites Capitaneo hujus Regni subjectos esse obligavit. Idem p. 304. An ignota sint Croatarum eatenus in Comitiis etiam lamenta? Quando Jurisdictio Banorum, quae prius teste etiam Tuo § 27. potestatem Palatinorum in Hungaria, ac Vajvodarum in Transylvania in jure dicendo, exercitu ductando, moribus et consvetudinibus Regni conservandis, atque in absentia Regis Conventui generali praesidendi aequabat, infelici Mixtae Periodi tempore plurimum passa fuisset, jura sua in separata an. 1492 servata Congregatione recipere quaerebant, et non nisi post acceptatos, et rati habitos per Uladislaum II. cunctos articulos placati sunt, et conquieverant. Sed nec postea etiam, quousque Hungaria intestinis motibus quassata simulacra potius Regum, quam Reges in Uladislao, et filio ejus Ludovico habebat, melioris quid experti, utique non jure, sed per injurias. An non Scriptores hoc ipsum testentur? An non legatur apud *Rosenmann* in Jure Publico Regni Hungariae: Officium, inquit, Bani antiquissimum, et florentissimum Seculo praesertim 16., dum omnia mediante potentia et factionibus ibant, intercidisse. Sed restitutum fuisse Seculo proximo, ubi in suis juribus, Privilegiis, Statutis, articulis, et Consvetudinibus conservanda praecipiebantur. Ita art. 11. an. 1608 ante coronationem §. 3. Item 27. et 28. an. 1609. 31. 1618. 25. 1630. 32. 1635. 32, 1638. 66. 1681. 22. 1687. 114. 1715. 87. 1723. 47. 1741. 34. 1765. 24. 1790. Imo pro vulneribus Seculo 15. illatis remedium quaerebatur Art. 50. An. 1536. Quid Functiones Banorum et Vice-Banorum apud Te nihil ad rem probant? probant autem similes casus Palatini, et Judicis Curiae? Et plane Jus Ordinarium cum exclusione Jurisdictionis Banorum?

Ad §. 86. Et quidem ad *a*. Quali potestate et authoritate praeditus fuerit Nicolaus et Laurentius Ujlak confusis illis Banorum temporibus, apodictice quidem definiri non potest. Interim Kercselich pag. 287 habet, quod Comitatus Za-

Digitized by Google

grabiensis Emerico de Zapolya Bosnae Gubernatori, Dalmatiae, Croatiae et Nicolao de Ujlak Sclavoniae Banis retulerit Inquisitionem jussu Mathiae Regis factam de quibusdam excessibus per Joannem Bitthovec tunc Slavoniae Banum, Cives item *Montis Graecensis**) *Zagrabiensis* ab annis 20 patratis, debuit se itaque Jurisdictio hujus ad superiorem etiam Slavoniam extendere.

Ad *b.* Hic Unus e Croatis eandem sententiam fovet cum D. Disquirente; quaestionatum Comitatuum Catastrum corpori Juris Patrii adnexum, cum in opere Verböcziano non reperiatur, alienum esse additamentum, cum secus sibi contradixisset in Numero Comitatuum, quem in praefatione ad Lectorem innuerat. Hunc erroneum esse, ipse Szegedi pag. 303. Editionis 1762. non diffitetur, dum dicit: »*His adde Comitatus: Sirmiensem (hodie Ducatum dicimus,) Poseganum, nec non Valkensem, seu Valkovarensem, et Veröcensem, quos Verböczius Ungaricis Comitatibus, licet trans Dravum situs, immiscet.*« Plura eatenus reperiuntur in Syllogen Decretorum Comitialium Josephi Nicolai Kovachich Sequincensis pag. 78. et 79 Edit. 1820. Sed et omnes Uni e Croatis noti ita sentiunt, et in specie, qui recte ad manum est: Ludovicus Nagy. Notitiae Politico-Geographico-Statisticae, qui non in T. I., ubi de Hungaria agit, verum in T. II., ubi de partibus adnexis seu Slavonia et Croatia tractat, Slavoniam ponit, et Comitatus ejus cum superioris Slavoniae Comitatibus ordine Alphabetico mixtim, prout et omnes Schematismi Hungarici et Croatici ab olim semper usque adhuc locant. Magnus ille Szentivany etiam in sua Dissertatione IV. Horographia pag. 149. post Hungariam, Croatiam, et Slavoniam, dum de sua Rascia, quam ad inferiorem Slavoniam ponit, tractat, sequentes limites habet: ab occasu Sclavoniam, a Septentrione

*) Mons Graecensis, rectius *Crecensis*, a Slovenico-croat. vocabulo *Krč, Kreč* (Kretsch), quod idem denotat ac *mons*, et inde per Pleonasmum »*mons Graecensis Zagrabiensis.*« Adnot. Corrector. typog.

Digitized by Google

Hungariam, et Dravum fluvium, ab ortu confluentiam Savi in Danubium (addendo, quod Disquirens malitiose exmisit), quamvis pars Una Rascianorum occupet etiam ultra Danubium bonam Hungariae partem, a Meridie Bosniam et Serviam, a quibus Savo amne separatur.... continet tres Comitatus: Posegiensem, Valponiensem, et Sirmiensem.

Sed et *Marton*: »Praktische ungarische Sprachlehre. Wien 1828.« post *Magyar Ország*, Horváth Országi Varmegyék, ponit Slavoniai vel Tót Országi Varmegyék: Veröcze, Szerém, Posega. Et plures alii ipsi D. Disquirenti prorsus non ignoti.

Quid quod dum tenore articuli 31. An. 1723. Tabulae Districtuales pro Regno Hungariae erectae fuissent, et ad quamvis sui Comitatus specificarentur, nullius e Comitatibus inferioris Slavoniae vel vestigium, qui adjectus esset, conspiciatur. Verum pro totius Slavoniae Comitatibus tardius anno nempe 1725 una Tabula sub nomine Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Judiciaria erecta visitur. Ita quoque art. 100. an. 1723. non nisi in quatvor Hungariae circulis cis Danubiano, et trans Danubiano, cis Tibiscano, ac trans Tibiscano Commisariatus instituti, et iterum tardius pro his Regnis prodivit circulus trans Dravanus. Non absimiliter art. 10. an. 1715 Commisio neoacquistica pro edoctione jurium instituenda considere debuit, consedit Posonii pro Comitatibus cis et trans Danubianis. Cassoviae pro Comitatibus Partium superiorum. Et distincta tertia pro Slavonicis cunctis, et Croaticis Zagrabiae, ubi articulatae 85. an. 1715 Familiarum Fancsy et Deesöffi relate ad jura in Comitatibus Posegano, Veröcensi, et Valkoviensi praetensa Instantiae pertractabantur.

An aliqui Indiculi Comitatuum in Tabulario Aulico, et quales serventur, et in Comitiis Regni reipsa confecti sint, hoc Uni e Croatis non constat. Quod tamen authoritate ordinarie legali confecti fuissent, simpliciter negatur. Croatae

Digitized by Google

communi Eruditorum opinioni acquiescunt, nec post abstractas quaspiam voces saltitant.

Ad *c.* Ad condiscendam authenticitatem, et veracitatem deutralium Pontificiarum Decimarum relegatur D. Disquirens ad toties citatos Csevapovich pag. 120 et Pray H. R. H. p. 524 T. II.

Ad. *d.* Cum citati articuli 7. an. 1416. 16. et 20 Anno 1448 ubi quaerendi essent, non indicentur, nullis autem citationibus Disquirentis fidendum sit, nihil adverti potest.

Ad *e.* Asserta eo magis probari deberent, quod articuli 34. an. 1498. et 91. an. 1715. prorsus aliter sonent.

Ad *f.* O quanta realiter existunt, quae Disquirens transsaltavit, et non reperit. Quantum ad illud, prout in aliis Regni Hungariae Comitatibus, debet adverti, quod hoc intelligendum sit, ad neoacquisticas Partes Temesienses, et alias intra Tibiscum et Danubium sitas, et non ad quaestionatos Sclavonicos Comitatus, prout proprium in serie Diplomatum sub LXVIII. Te capacitare potest, ubi legitur: ad normam, et methodum regulati Regni Croatiae, et non Hungariae. Ita quoque illud, quod quaepiam inferioris Slavoniae partes non in Banalem, sed Cameralem et militarem administrationem cessae sint, nihil officit, quod sicut propterea totius Monarchiae ita nec Regni Slavoniae partes integrantes esse cessaverint; cum distincta administratio proprietates non mutet. Si autem solas in abstracto voces captare lubet, sic relegas Tua Scripta p. 128. ubi habes: quod partes illae e turpi 161 annorum servitute an. 1687. jam erutae ad Ditionem Caesaream, et non Regis Hungariae pertinere legantur. Dein pag. 130 circa politica et secularia Regnum *Slavoniae* et non Hungariae quoad praemissos quatvor Comitatus hactenus erat, estque de facto sub dispositione, et administratione Cameratica. Dein habetur: Commissio Hungarica *ad I. Regnum Slavoniae in ordinem redigendum.* Ita quoque: *in Valkoensi, et aliis Regni Slavoniae Comitatibus.* Sed et ipsa attacta exclu-

Digitized by Google

sio Lutheranorum, et Calvinistarum indicat has partes ad Municipalitatem Regni Croatiae pertinere. Ubi Kercselichiani limites fuerint fixi, nihil decidit. Ad sensum autem dictorum Martini Szentivany tandem capiendum svadetur Tibi, ut Te ad responsum Tui §. 42 Seculi XVII. convertas, et integrum textum iterum, iterumque legas, nec adhaereas soli ubique voci Hungaria, ne Te prostituas coram iis, qui rem cum citatis conferunt. Sed nec plebem licet decipere, aut rudes quoscunque.

Ad §. 88. Quid legendo, et relegendo non capis? art. 118, 1715: Humillimis petitis SS. et OO. memoratorum Regnorum Croatiae et Sclavoniae (communi Regni Hungariae SS. et OO. voto) annuit perbenigne Sua Majestas C. et R. ut . . . de modo, et formalitate ad S. Coronam reincorporationis inferioris Sclavoniae . . . Comitatuumque in ea existentium cognoscatur. . . Art. 18. 1741. §. 4. Ex parte Regni istius; Commissarios pariter D. Com. Palatinus nominabit; ex parte vero Sclavoniae (utique inferioris, de qua mentio fit §. 3.) Banus cum SS. et OO. eorundem Regnorum. Et art. 50. an. 1741. Illud, quod formalitate supra in art. 18. denotata ex inferiori Slavonia Jurisdictioni S. R. Coronae reincorporabitur; Jurisdictioni Regni et Bani clementer annuente S. R. Majestate juxta etiam art. 118. an. 1715 subordinabitur, ac una quoque Supremi Comites (in quantum nominati non essent) per Suam S. R. Majestatem pro tenore etiam suprascripti art. 18. constituentur. Hinc itaque non potest non intelligi, quod precibus SS. et OO. Regnorum C. et S. succolatis duntaxat voto SS. et OO. R. Hungariae B. delatum sit. Dein Commissarios nominandi provincia data fuerit Bano cum SS. et OO. eorundem Regnorum. Ac demum, quod Jurisdictioni Regni, utique Croatiae, et Bani hujus Regni subordinanda sit. Quid quod Tu ipse pag 129 nexus, et Rel. recognoscas Commissionem jam an. 1800 retulisse: Regnum Slavoniae victricibus Suae Majestatis armis recuperatum con-

Digitized by Google

tinere quator Comitatus: Valkonensem, Posegiensem, Verö-censem, sive Veroviticensem, et Sirmiensem, et pag. 131. hos quatvor Comitatus in tres fuisse contractos: Verőcensem (Valkonensi unitum) Sirmiensem, et Poseganum. Et 1729 horum Comitatuum, et Confiniorum Regiminum: Gradiscani nempe, Brodensis, et Petrovaradinensis fuissent limites constituti. Dein praetendis, nec Croatiae et Slavoniae, nec Hungariae SS. et OO. quoad Slavoniam inferiorem fuisse in claris. Ast quam historice? Quid non SS. et OO. Regni Croatiae, qui ex B. Leopoldi M. ddo. Passavii 26. Julii 1683 fide etiam Tui sub No. LXVI. Diplomatis ad SS. et OO. Regni Croatiae exstimulatione jam anno 1684 Turcis ereptas, realiter jure postliminii apprehenderunt, et per art. 23. 1687 confirmati fuerant, ita sonantem: Ex B. Suae Majestatis annuentia conclusum est, ut in iisdem Dalmatiae, Croatiae, et Slavoniae Regnis secundum Municipales eorundem leges, hic loci confirmatas, tam in partibus sub Jurisdictione eorum ad praesens existentibus, quam in futurum juxta clementem Suae Majestatis Sacratissimae Resolutionem ad eadem legitime reapplicandis soli Catholici possessionis Bonorum uti hactenus, ita in posterum sint capaces. Ex Rescripto de eodem anno ad SS. et OO. Regni Croatiae dato politica, civilia, et publica ad Normam Croatiae administranda praecipiuntur, et anno 1697 Rescriptum Regium a Leopoldo acceperant, ut inferioris Slavoniae Comitatus quoad negotia politica, civilia et publica ad normam Croatiae administrari curent. Qui dein dum B. nominati Supremi Comites non potuissent in suis Comitatibus manere, Varasdini Conferentiam Banalem 1698 servarunt, et electum in Banalem Locum longa apud Kercselich conspicua pag. 476 et 477 Instructione, et praecipue, ut ibidem constanter maneat, coordinanda ad normam Regni Croatiae coordinet, curetque, ne Status et Ordines in jure suo ibidem habito, et per Suam Majestatem recognito quaqua ratione praejudicium patiantur. An SS. et OO. inferioris Sla-

Digitized by Google

voniae? dum mox post pulsos Turcas Comitatuum Veröcensis et Posegani Supremus Comes Franciscus Ivanovich antea Comitatus Crisiensis Vice-Comes eosdem Comitatus protectioni Regni, et Jurisdictioni Banali an. 1688 commendabat.

Dum eorundem Comitatuum Vice-Comes Joannes Dolovacz coram Regno Croatiae an. 1694 juramentum deposuit. Dum Comitatus Veröcensis Universitas sibi gratulabatur, Slavoniam inferiorem Banali Jurisdictioni reincorporatam esse, spondetque perpetuam Unionem et harmoniam 1746. — Syrmiensis Comitatus eodem an. 1746 aeque sibi gratulabatur de reunione declarando, quod tam ingens, et nunquam obliterandum statuum Croaticorum beneficium servitiis suis contestari nunquam sint intermissuri. Dum Comitatus Veröcensis rationes cassae suae domesticae an. 1748 SS. et OO. Croatiae submiserat. — Dum inferioris Slavoniae Comitatibus circulares ordines intuitu limitationis opificum et Uniformitatis mensurarum non medio Consilii Hungarici, ast per Rescriptum Regium medio Regni Croatiae de anno 1750 intimari jubebantur. Dum Comitatus Veröcensis a Bano flagitabat, ut sua interpositione efficiat, quo inferioris quoque Slavoniae Comitatus Ablegatos ad Comitia mittere ausint, spondendo, quod se propterea a Regno nunquam separare velit An. 1751, prout in Actis regnicolaribus totum hoc habetur. An SS. et OO. Regni Hungariae, qui anno 1715 petitum Croatarum pro reincorporatione inferioris Slavoniae voto suo succolarunt, et inferiorem Slavoniam ad Normam Regni Croatiae organisari occasione Commissionum adjuverunt. Num in condito circa neoacquistica Judicia art. 10 an. 1715. In constitutis Tabulis Districtualibus art. 31. an. 1723. Ita quoque art. 100. an. 1723. Districtibus Commissariaticis etiam non fuerant SS. et OO. Hungarici in claris? Sed et an. 1790 occasione conditi 26. et 58 articuli. Nec non dum per B. Rescriptum Regium etiam inferioris Slavoniae Comi-

Digitized by Google

tatus Consilio Croatico an. 1773. subordinati fuerant, quod sublatum fuit anno 1779.

Ergone SS. et OO. Regni Hungariae ideo inferiorem Slavoniam Banatui subjici petierunt, ne Turcae eam recipiant, et clades Mohacsensis renovetur? Ast modo, quando amplius metus non est, jure per secula habito privetur? Quid si iterato Turcae vires receperint, erit iterato Croatica? Itane foedera servantur?

Quando pax Sistoviensis confecta? Et quid pace hac Croatia totum usque Unnam per extensum recepit?

Ad §. 89. Cum e falsis, suspectis, truncatis, Loco inapplicabilibus, certae temporis Epochae duntaxat ligatis, nec historice ad regulas Polybii, multo minus Diplomatice, minime autem juridice e quacunque Pseudopolitia evictum Croatis per Hungaros ante Ladislajana tempora unquam ereptam fuisse inferiorem Slavoniam, eamque ad Hungarici Territorii integritatem quocunque titulo, et modo juridice, aut physice pertinuisse, seu ut D. Disquirens se exprimit: primitivos Hungariae limites etiam ultra Danubium per Regiones Dravo, Savoque Croatico interjectas patuisse. Illud quoque ex illegalibus, aut certe extraconstitutionalibus factis duntaxat contortam, quod ordinaria Jurisdictio Palatinorum, et Judicum Curiae ad hos inferioris Slavoniae Comitatus constitutionaliter se extenderit. Has partes Croatae virtute sua erga Benignam Leopoldi Magni datis Suis Caesareo-Regiis ddo. Passavii 26. Julii 1683 ad SS. et OO. Regni Croatiae Litteris exstimulationem an. jam 1684 Turcis ereptas realiter jure postliminii apprehenderunt fide etiam per Te sub Nr. Romano LXVI in serie Diplomatum Dissertationis Tuae producti Diplomatis. Et etiam ddo. in Castro Ebersdorf 28. Sept. 1697 eosdem SS. et OO. Regni Croatiae in juribus ad has Partes confirmavit: In attacto Regno Nostro Slavoniae, praesertim vero Comitatibus Posegiensi, Veröcensi, Valkovarensi ... politica Civilia, et publica munera, et negotia rite administrentur;

Digitized by Google

Solitae Comitatuum Congregationes, et Sedes quoque Judiciorum pro justitia debite administranda coercendisque pravorum excessibus frequentius celebrentur, aut in solitis quoque generalibus fidelitatum Vestrarum Conventibus causae et Processus ejus Regni Nostri Slavoniae ventilentur, discutiantur, et pro justitiae exigentia decidantur, et terminentur. — Juribus denique ipsorum populorum, ad normam et methodum regulati Regni Nostri Croatiae omni meliori modo prospiciatur. Vide citatum Tuum sub LXVII. Dipl. Quid quod Partes has per Turcas quoque tentas Croatae tanquam proprias nunquam neglexerint; teste etiam Tuo ibidem Dipl. sub Nr. LXIX., cujus rubricam ita extraxisti: Episcopatus Zagrabiensis zelo ac vigilantia in Slavonia, et Comitatibus Posega, Veröcze, Valko et Szerém Reformatio radices figere nequit, tenore Missilium Papae Pii 2. ad Georgium Episcopum Zagrabiensem ddo. 9. Augusti MDLXIX expeditarum. Quare art. 50. an. 1741 Regno Croatiae, et Banis nihil tribuit, verum solum possessorium legalisavit. Unde autem somnium istud, quod ob Slavici labii incolas hae partes Regno ac Bano nomine inferioris Slavoniae fuissent subjectae, quasi plures in Hungaria stricte sumpta Comitatus labii Slavici non essent. Aliae autem partes nomen Slavoniae Superioris cepissent, quasi hae alterius iterato labii forent. Ex praeattacto art. 50. 1741 id exsculptum, aut ex alio quopiam? O Polybi! Polybi! Ad quid gratis es in communi Bibliotheca?

Andreas Jambressich in suo Lexico 1742. sic habet: Scriptores nomine Slavoniae accipiunt quidquid terrarum a Dravo amne ad Adriaticum mare protenditur. At speciatim Slavonia est ea Regio, quae Savo et Dravo clauditur, Coronae Hungariae eodem, quo Croatia et Dalmatia tempore accessit. In superiorem et inferiorem dividitur. Illa hodie nomine Croatiae (ratione administrationis) venit. Haec Neoacquisticorum, ut vocant, jure regitur.

Nihil dubii est, quod e Tuis Diplomatibus solvi deberet,

Digitized by Google

omne fere ac totum falsum est, quidquid conclusisti. Ut adeo cum Katona in Dissertatione sua critica in Commentarium Alexii Horányi illud repeti debeat, quo idem finivit: Ex pauculis his observationibus facile quivis concludet, quam caute sit adhibenda fides quibusdam viris rumore vulgari doctis, et eruditis. Eorum me sane miseret, qui horum authoritate tam crassos in errores, et praecipitia traduci se patiuntur. Utinam hi deinceps vel a libris in lucem edendis abstinerent, vel in eis concinnandis ac vulgandis majorem accurationem adhiberent. Absit, ut eorum ego luminibus obstruere velim! Illud duntaxat hac lucubratione spectavi, ne scilicet tot errores regnum in Hungaria constituerent!

Digitized by Google

Digitized by Google

ANIMADVERSIO

IN OPUS:

DE SITU, ET AMBITU SLAVONIAE ET CROATIAE, QUAM CRITICE ILLUSTRAVIT, ET DE EO IN USUM CROATARUM LATINE DISSERUIT

GEORGIUS GYURIKOVICH

PESTINI 1844. TYPIS, ET IMPENSIS TYPOGRAPHIAE TRATTNER-KAROLYIANAE PROCUSUM,

PER

UNUM E CROATIS

ADORNATA, ET REFUTATIONI

FEJÉRIANAE DISQUISITIONIS:

CROATIAE, AC SLAVONIAE CUM REGNO HUNGARIAE NEXUS, ET RELATIONES

AD LUCRANDUM OPERIS COMPENDIUM ADNEXA.

Digitized by Google

Frons, oculi, vultus persaepe mentiuntur, sed oratio saepissime.
Cicero.

Encomium ante Victoriam canis. *Plautus.*

Digitized by Google

Cum D. Illustrans, ac Disserens jam in limine sui operis minetur, se e claro legum tenore, et indubitatis vetustissimis monumentis ad plenam evidentiam ostensurum: Slavoniam stricto sensu inter Savum et Dravum versus Stiriam contineri, nec ullum ejus Tractum esse, quem Danubius, et Savus alveis suis complecterentur. Necesse utique est, etiam pro limine adstare, et ne lectores diu in suspenso maneant, e scripto, ac tradito extemplo adesse, ac recte contrarium evincere; sed et continuo argumenta Illustrantis discutere, supposita diluere, et quid veri sit, in lucem ponere:

Anno 1445 art. 4. legitur: In partibus tamen Regni Slavoniae, penes fluvium Zava, Drava, ac Posega fortalicia propter metum Turcorum facta, si quae ex eis deponi debeant, relinquantur voluntati Nobilium partium earundem deponenda. — Exceptis quinque Castris, videlicet Vereucze, Emerici filii Vayvodae de Marcellis (Marczali) in Regno Slavoniae etc. suppl. Vestig. Comit. Kovacsich Sylloge Tomo I. pag. 98. Fide Georgii Fejér: Croatiae, ac Slav. cum R. Hungar. nexus, et relationes p. 72 in Glossa.

Anno 1498. art. 34 cum rubrica: Tricesimarum antiqua loca. §. 4. Item in Slavonia... §. 6. Nandoralba est capitalis Tricesima. Kelpen, Sabacz, Archi, Barich, Szent Demeter, Racha, Pothos, Apaiocz, Ujvar sunt filiales ad eandem. Haec autem filialium loca sunt in actuali inferiori Slavonia, ut antiquiores mappae remonstrant.

Anno 1715 art. 91. §. 59. In Districtu Slavoniae .... Capitalis Petrovaradinum cum filialibus Salankamen § 60 Capitales Eszek §. 61. Item Capitales, Viszovicz, Martinicz, Vin-

Digitized by Google

koczy, Kopanicz, Brod ad Savum, Szvinyar, Gradiska, Jaszenovacz, Dubicza, Kostanicza etc.

Diplomata Tibi etiam indubitata apud Fejér series Dipl. pag. 46. XXV. Slavoniae Regnum in litteris, quibus armorum insignia obtinuit, inter flumina Dravum, et Savum continentur an. 1496, ubi expresse dicitur: »Hoc ipsum Regnum Nostrum unum praecipuum scutum vel potius antemurale hujus Regni Hungariae appellaverimus, quod unice inferiori Slavoniae applicari posse, ac debere suo loco, ubi objectiones Adversarii solventur, ad captum ostendetur. Ita pag. 50. XXVI. quo Capitulum Bosnense a procedendi in Slavonia facultate inhibetur, haec una ab alia distinguitur an. 1498. Seu proinde dicitur ad aliud, seu ad illud regnum nostrum Slavoniae; omnimode Capitulum Bosnense seu Diakovarense est in Slavonia. Porro pag. 92. LI. Rubrica: Praeter antiquum Slavoniae Banum; novus Slavoniae Banus Nicolaus de Ujlak an. 1464. In nigro p. 93 de Emerico Zapolya Dalmatiae, Croatiae, nec non Slavoniae Regnorum, et de praefato Nicolao de Ujlak ejusdem Slavoniae, et Machoviensi Banis mentio fit: atqui hic fuerat Illokini, sequaciter in moderna inferiori Slavonia. Et pag. 122. LXVII. an. 1697 in nigro: quod nullus in politicis rebus, et negotiis in attacto regno Nostro Slavoniae praesertim vero Comitatibus Posegiensi, Veröcensi, Valkoviensi ordo observetur. — Et ut juribus denique populorum ad normam et methodum regulati Regni Nostri Croatiae omni meliori modo prospiciatur.

Sed et recentiores leges: articulus 118. 1715. 18. et 50. an. 1741 26. an. 1790, et alii nec non in Actis Comitialibus frequentior mentio fit inferioris Slavoniae.

Sed et Tuus Joannes Sambucus Maximiliani Imperatoris Historicus apud Kercselich pag. 390. ad an. 1572 Slavoniam a Jassenovacz cis Savum Dravumque collocat: ut Posegam, Captol, Straseman, Valpo, Szlatina, Sopia etc. Sed et alii Geographi idem sentiunt.

Digitized by Google

»Einleitung in die alte, und neuere Geographie. Wien gedruckt bei Kurzbeck an. 1737. Sclavonien ist das Land zwischen der Drag und Sau von Copranitz bis an die Donau hat Städte: Posega ... 2. Valpo. 3. Veroviticza. 4. Eszek. 5. Petervardein. 6. Zalankemen. 7. Semlin. 8. Carlovicz. etc.

Johann *Hübner*: Kurze Fragen aus der neuen und alten Geographie. Regensburg 1736 p. 1030. Wo liegt Slavonien? Es liegt zwischen der Sao, latin. Savus, und zwischen der Drav, das sind zwei Flüsse, welche in die Donau fallen.

Was sind vor Plätze in Slavonien? 1. Eszek. 2. Petervardein. 3. Valpo. 4. Posega. 5. Gradiska. 6. Koprainitz. 7. Verovitz. 8. Carlovicz.

Porro Johann *Hübners* neu vermehrtes und verbessertes Reales Stats-Zeitungs Lexicon de an. 1769: Sclavonien, Slavonien in der jetzo gewöhnlichen Bedeutung ist eine Provinz des Königreichs Ungarn zwischen der Donau, Sau und Drav, welche sich 50 M. in die Länge, und .12 in die Breite erstrecket, und von einer sehr kriegerischen Nation bewohnet wird, auch reich an Getreide und Bergwerken ist. Sie grenzet gegen Süden Croatien und Bosnien, gegen Osten an Servien und ober Ungarn, gegen Norden an nieder Ungarn, und Westen an Steiermark. Sie wurde anfänglich in ober und unter Slavonien, nachgehents aber in das Banat, und Generalat Sclavonien eingetheilt, welche beide dem Haus Oesterreich unter den Titel eines Königreichs gehören.

Scriptores Vetusti: Petrus *Ranzanus* apud Schvandtner T. I, pag. 330. Quidquid agrorum est inter Dravum, et Savum, cognominari ab incolis Sclavoniam, corrupto tamen a vulgo vocabulo, ut nonnulli autumant: Sauoniam enim absque litteris c. et l. pronunciandum fuit a Sauo fluvio, qui utique eam maxima in parte quasi *claudit*. Dein Andreas *Jambressich* Societatis Jesu Sacerdos habet in suo Lexico 1742 Zagrabiae edito: Scriptores nomine Slavoniae accipiunt, quidquid terrarum a Dravo amne ad Adriaticum Mare protendi-

Digitized by Google

tur. At speciatim Slavonia est ea Regio, quae Savo, et Dravo clauditur, Coronae Hungariae eodem, quo Croatia, et Dalmatia tempore accessit. In superiorem et inferiorem dividitur. Illa hodie nomine Croatiae (ratione administrationis) venit; haec neoacquisticorum, ut vocant, jure regitur.

Szörenyi Episcopus quondam Sirmiensis sub titulo »*Vindiciae Sirmienses*« in praefatione: Nobilissimam olim Saviae Pannoniae, nunc Slavoniae dictae, partem, plagam utpote Sirmiensem, ejusdemque Episcopatum pag. 17. Nos hic accipiemus latiori nomine Hungariam una cum incorporatis eidem Provinciis ... Pro prima igitur illius parte statuemus eam, quae includitur fluminibus Savo et Dravo eorundemque ostiis in Danubium influentibus usque fines Styriae ... p. 18. Primus est Sirmiensis ... p. 21. olim latius Sirmio accepto tota illa pars, quae inter ostia Dravi et Savi orientem versus porrigitur, vocabatur Sirmium, et a modernis Geographis Rascia inscribitur p. 22. Secundus Valponensis p. 37. Tertius Comitatus Poseganus, dictus ab urbe Posega, quam author Topographiae unam e praecipuis Sclavoniae Civitatibus nominat penes Orljavam fluvium. p. 37. Tempore autem hoc vocatur Slavonia Hungarica ad differentiam aliarum Regionum, quae hoc nomine appellabantur: apud antiquos latinos siquidem Scriptores Sclavonia complectebatur totum hodiernum Illyricum, nempe Dalmatiam, Bosnam, Croatiam et Slavoniam proprie dictam. Praeterea est etiam Slavonia ex duodecim partibus antiquis Prussiae maxime in Septentrionem extensa uti et Sclavonia maris Balthici dicta. Et p. 106. Pars illa Slavoniae, quae inter ostia Dravi, et Savi penes Danubium extenditur, et jacet, est Sirmium p. 220. *Strabo* diceret: »*Bosvetha* Savo commixtus in Dravum illabi, licet secus in Danubium inter ipsum Sirmium, et Belgradum 800 circiter passuum millibus infra Dravi ostium.

Joannes B. *Szegedy* e S. Jesu Zag. 1762. Ad Partem III. T. 2. §. 58. His adde Comitatus: Sirmiensem (quem hodie

Digitized by Google

Ducatum dicimus) Poseganum, nec non Valkensem seu Valkovarensem, et Verőcensem, quos Verbőczius Ungaricis Comitatibus licet trans Dravum sitos immiscet. Et titulo 3. §. 1. Regnum Slavoniae dispesci solet in Comitatus: Zagrabiensem, Varasdinensem, Crisiensem. Item Poseganum, nec non Valkoviensem, Verőcensem, seu Viroviticensem, et Sirmiensem. Et ipse Fejér p. 59. Croat. et Slav. cum H. R. et rel. Habemus igitur Poseganum, Sirmiensem, et Valkoensem Comitatus ad Slavoniam pertinuisse.

Daniel *Farlatus* Illyr. S. T. I. p. 123. »Chrobatia intermnensis eadem est, ac Pannonia Savia, Dravo, Savoque interjecta. Ab occasu Noricum habet finitimum, ubi nunc pars Styriae et Carinthiae, atque in ortum protenditur usque ad Danubium, qui ab Septentrione in meridiem cursum detorquens eam sejungit ab ea parte Hungariae, quam olim Jaziges metanastae incolebant.« Reliqua in Responso ad §. Fejérianum 41. Mikoczi Otiorum Croatiae p. 146. Sclavoniam ex eo scribi coepisse, quod Graeci, et Latini vocem cum s. l. juxta se positis enunciandi usum non habeant. Et pag. 153. Slauinorum Slavorum nomen tam vetus, tam late diffusum, tam multis in Europa populis olim commune; jam Incolis unius Provinciae, quae inter Styriam, et Savi Danubiique confluentes Dravo Savoque clauditur, ita proprium factum est, ut illi Slavones, Regioque Slavonia, quamvis reipsa illa Croatiae pars sit, appellentur. Sed et p. 15. ad Notam C. Croatiam ad Dravum usque pertinere, partem nihilominus Sauo, Drauoque clausam Slavoniam esse appellatam, ac in superiorem, inferioremque — divisam satis constat.

Lucius L. II. C. 12. habet: Croatiae nomine censebatur, quidquid Croati in occidentali Dalmatia tam maritima, quam mediterranea possidebant, ut ex Porphyrog. C. 30. jam dictum est, Croatos quoque fuisse, qui Saviam occuparunt ex Eodem, et Cedreno constat. Totius ergo Croatiae nomine comprehendebatur: Dalmatia occidentalis tam maritima, quam

Digitized by Google

mediterranea, et Savia, quae nunc Slavonia nuncupatur ita, ut Croatia distingui posset in tres Provincias scilicet: maritimam, mediterraneam et interamnensem, sive Saviam. Et L. VI. C. 4. Slavos, qui Dalmatiam occuparunt, Croatas, et Serblos fuisse, ex dictis constat, hosque a Graecis, et latinis Scriptoribus Slavos vocatos. Ab Hungaris autem Saviam, sive interamnensem Croatici Regni partem, sibi conterminam, Slavoniam appellatam, quae hodie quoque tale nomen apud Latinos retinet.

In collectione Scriptorum apud Schvandtner T. III. Illyricum Jacobi Pfiaczevich an. 1714. §. IV. proprie *Slavonia* dicitur ea regio, quae inter Dravum et Savum jacet, ab occasu Stiria, ab ortu Danubio clausa. Longitudo ejus juxta Cluverium est mil. Germ. 50. latitudo 12. Caput Regni Zagrabia... Varasdinum, Capronczа... Crisium... In inferiori Sclavonia est Posega, olim Reccatina dicta; Valpo, Civitas olim culta. Sirmium.. Essekinum etc.

Eques Paulus Ritter: Savia, et ager Sirmium, a Slavis Croatis occupata Slavonia vocatur. Idem apud Kercselich p. 101. Ladanio, et Tomka objicit: cur tacent? quo modo, quove tempore vel a Stephano est acquisita Slavonia? vel accesserit Stephano. Et ultro: Stephanus autem idem primus Hungariae Rex nihil juris, nihilque dominii, aut proprietatis ultra flumen Dravae in Slavonia habuit. Quomodo eam vita comite pacifice possedit? et in successores unitam coronae hungaricae transmisit? nusquam invenio. Raphael Levakovich apud Kercselich Hist: Cath. Ecclesiae Zagrabiensis P. III. Quae Savum interjacet Regio, interamnensis Pannonia olim.. postmodum vero Slavoniae nomen sortita, Banatus, Ducatus, et Regni titulos accepit, secundum quod Bani, Duces, vel Reges eidem praefuissent.

Kercselich Periodo 4. p. 401. A Sclavonia inferiori, ut memorati legum articuli eam exprimunt, ordior: Haec ab oriente respective Hungaria, respective superiore Slavonia;

Digitized by Google

a Septentrione consequenter Hungaria; a meridie terris nunc Turcarum; ab occidente vero Confiniis Banalibus, et respective Comitatu Crisiensi; respective vero militari Generalatus dicti Varasdinensis limitibus terminatur etc.

Csevapovich in opere suo: Recensio observ. minorum Prov. S. Joan. a Capistrano pag. 243. facit mentionem numorum Banalium, quibus ut plurimum in Slavonia Decimas pontificias solventes utebantur, cusorum in Camera monetaria Provinciae Sirmiensi, nota adhuc sub Bela 4., Carolo Roberto, et Ludovico I.

Idem pag. 244. habet: Tota Slavoniae Regio trino principali flumine cingitur: Danubio nempe, Dravo et Savo.

Vides ergo, quod antequam Nicolaus Skerlecz vel natus fuisset, et Georgius Ratkay scribere didicisset: quaestionati Poseganus, Veröcensis, et Sirmiensis Comitatus, et loca Gradiscanae, Brodensis, et Petrovaradinensis Legionis ad Slavoniam, seu Croatiam interamnensem e legibus, Diplomatibus, Geographis, et Historicis remonstrentur continuo pertinuisse, et hodiedum ininterruptim pertinere.

Sed quamvis nec ego in singula a Ratkay dicta et scripta jurare velim, et licet eum recte nunc ad manum non habeam, ut videre possem: num, et quid peccasset; ab invisis tamen sustinere audeo, ei injuriam ab omnibus inferri, qui plane Paradigma inscitiae Geographicae in eo se videre somniant. Vellem enim ego, ut inspiciant illi chartam: »Das Königreich Bosnien etc. nach den militärischen Handkarten des Prinzen Eugen, der Grafen Khevenhüller. Marsigli und Palavicini etc. im Jahre 1788 vom Hrn. Maximilian Schimek aufgetragen, und herausgegeben vom H. F. A. Schrämbl, et invenient Siget supra Savum non procul a Jaszenovacz. Si autem de eo Szigeth, quod a Solymano Turcarum Imperatore an. 1566. Christianis erreptum est, subsumitur, legatur apud Schvandtner T. I. p. 723. in Samuele Budina: Historiam Szigethi, *totius Slavoniae fortissimi propugnaculi...*

Digitized by Google

in finibus Slavoniae, utique Regni olim Braslavonis intra Danubium, et Sala siti, teste Silagio, Inchoffer, Kattona, et aliis. Et inde in Diplomate Fejériano sub 2. LVI legitur: *Castrum Vesprimense expugnari fecimus, et totam illam Slavoniam liberavimus* A. 1491. Et p. 697 Szigethum situm est in Pannoniae finibus. Sed et in Hungaria inveniuntur plura Szigeth, ut videre est apud jam citatum Ludovicum Nagy. Et non arguas omnem statim inscitiae, qui ultra corpus Juris transsaltando, et acta Diaetalia, quae utique pro Hungaris contra Croatas, qui in singulis Comitiis, quasi solum ad causam suam agendam eo vocarentur, passive se habent, et praepotentia, et numero semper superantur, aut eluduntur, nihil probant, aliquid plus legerat.

Haec omnia, quamvis omni veritatis amanti, et non totaliter suis imaginationibus obcoecato sufficere possent, nec innania verba ultro profundere, ac tempus perdere oporteret, cum in universo Illustrantis opere nihil talis contineri videatur, quod Croatas in rectiorem alicujus veritatis cognitionem, aut quaesitae virtutis viam perducere posset; sed nec novi quid praeter vana propriarum dotum, et qualitatum per Eruditos etiam recognitarum encomia, et affectationem cujuspiam rudes Croatas ad id credendum, quod ipse non credit, deducendi zeli, Comitiorum quaepiam Diaria, et leges in sensu vere secundum privatum spiritum eruto, et fastuose obtruso, in reliquo antiqui Mythi, et fabellae usurpata jura, et studium universalis confusionis. Unde linguam latinam pro eo prorsus male selegit, si voluit Eruditus ultro audiri; ne tamen D. Illustrans ultro sibi blandiatur, sua inallegata monumenta reipsa esse inexpugnabilia, et queratur, quod specialia per generalia semper enervari nequeant; ad ea, in quibus vis reponi videtur, respondebitur non tam necessitate eruendae veritatis, quam studio Eundem relevandi ab immenso eo labore, quem adhuc meditatur, et durantibus Comitiis perficiendo non fuerat, quasi falsitas etiam

Digitized by Google

jam per solas partitiones, repetitiones, essentialium reticentias, locorum ac temporum alio applicationes, scriptorum interpretationes, velatas venditationes, in veritatem converti possit. Et ne sophismata, artes, et figurae, si non apud Criticos, adminus apud tales, quibus aut ars haec propria non est, aut otium debite eatenus examen instituendi non suppetit, obtinere cujuscunque veritatis vel umbram possint, principiis obstare, et ad singilativa producta quotiescunque, et qualitercunque transformentur, responsa dare non abs re erit.

Probemus itaque rem: D. Illustrans p. 11. P. I. rejecta domesticorum utriusque Nationis Historicorum, quam et extraneorum Scriptorum, quod Regio inter Savum, et Dravum interclusa S. Ladislao et ejus filio Colomanno se ultro subjecerit, praetendit; quod, quidquid inter fluvios Danubium, Savum et Dravum ac ultra Savum versus mare juris fuisset Slavorum Marahanensium, Braslavianorum, id omne Arpadi tempore ad finem Saeculi IX. cesserit Hungaris victoribus. Sed Amice! eadem facilitate, qua id asseritur; replicari potest, quod Slavi Marahenses Braslaviani hic prorsus nihil unquam habuerint, consequenter Hungari eorum jure hic prorsus nihil obtinuerint. Fundamenta negationis invenies in Emerico Kelemen Consiliario, Professore, et Facultatis Juridicae seniore Libro I. Pestini 1814. §. 21. Ladislao praeter Sclavoniam, et Croatiam mediterraneam juribus S. Coronae assertam. Et 22. Rex hic (Colomanus) ultra tres nobilissimas Provincias S. Coronae adjunctas sub *a* non solum Croatiam mediterraneam recuperavit, sed maritimam etiam; tum Dalmatiam et Ramam adjecit provocando ubique ad copiosissimos omnis aetatis Historicos, et jam parata habet in Responsis ad Fejérianos §§. 8. et 58. Sed Katona haec somnia ad umbras Sklenarianas rejecisse scitur in opere: Examen vetustissimi M. Moraviae situs, unde talibus minis neminem proprietate sua privabis. Pag. 12. difficultat fundamentum Skerleczianum pro inferiori Slavonia ex idiomatis populi conformitate; ubi

Digitized by Google

tamen ipse p. 67. P. II. hanc inferioris Slavoniae nomenclationem ethnographicam, latine gentilem a gente, quae eam incolit, venisse sustinet. In reliquo, quod similius Croatico Idiomati Idioma sustineat Incolarum Comitatus Zala, Simegh, Castriferrei, Šopron, Mošon, quam in inferiori Slavonia; quaerat ergo hic potius Croatas Marahenses Braslavianos, quam in actuali Slavonia, et Croatia. Sed et deducere inde, quod Rasciani, Servii, Bulgari etc. sub Mathia I. an. 1459, quodve Paulus Kinisi 50,000 an. 1481. Familias Servianas in Sirmium, et vicinos Comitatus Licanum, et Corbaviensem deportasset, hasque plures sub Maximiliano, Rudolpho, et Leopoldo aliae etiam secutae sunt nationes, Savonia Croatici Regni pars esse cessasset, esset idem, ac si quis praetenderet, Banatum Temesiensem cessasse esse partem Hungariae, quia similes nationes etiam eodem tempore eo prae Turcis fugerant. Pag. 13. Epocham limitum Hungariae non modo usque Savum, sed et ultra eum usque fontes Colapis, et Glinae, et Coranae pertingentium esse eandem cum origine Monarchiae Hungaricae sub Arpado, caeterisque Ducibus, durasse etiam aevo S. Stephani, Ladislai I., Colomani I. et II. Regum se Parte III. luculentissime demonstraturum jam hic minatur, et praetendit, sanam rationem dictare, ut credatur: non solum tres inter Savum, et Danubium sitos Comitatus, sed et erronee nunc Croaticos dictos Zagrab, Varasd, Körös, Dravo et Savo, ac respective Colapi, Unnaque interclusos interrupta temporis serie penes Hungariam permansisse. Verum cum ratio post lapsum Adae erroribus sit obnoxia, quoad Duces et Reges priores S. Ladislao, qui testimonio Andreae II. primus Dravum transiisse dicitur, et Colomano, qui ad Dravum confoederationis puncta inisse in responso ad Fejérianum §. 82. probatur, minarum effectus prae foribus praestolabimur.

Pag. eadem 13. et 14. Negat Banis ordinariam in Slavonia Jurisdictionem; sed si quam habuissent, hanc delegatam fuisse praetendit; verum Palatinis ordinariam competere

Digitized by Google

ad D. Fejér se provocat, et ideo sufficit D. Illustrantem ad Responsa ibidem data relegare. Et cum istud argumentum sit convertibile, liceat aperte dicere, illud nihil probare.

Pag. 15. Recognoscit Elisabetham Reginam viduam errasse, quod ad Decimas Episcopales manus suas extenderit; sed putat excusandam, quod ignorasset, ad cujusnam Episcopi: Zagrabiensisne, vel Quinque-Ecclesiensis jus pertinuerit. Sed recte hoc est, et nihil aliud, quod Diplomata docent. Decimas nempe Oppidorum Reginalium Veröcze, et Lypova ac totius Slavoniae Episcopo Zagrabiensi competere, cum eidem restitui praecipiantur. Relate ad citatas sub Nris. 38. et 39. litteras Responsa etiam ibidem inveniet ad eosdem Numeros Fejérianos.

Pag. 16. Negat an. 1349 Velikam in Comitatu Posegano et Zdenczi prope Diako in Veröcensi fuisse; verum haec loca post recuperatas a Turcis has partes per commissionem a Comitatu Crisiensi avulsas, et Comitatui Posegano, et Legioni Confiniariae Gradiscanae applicatas, et incorporatas exstitisse sustinet; totum tamen Comitatum Poseganum et Legionem Gradiscanam, prout nunc est, cum suis etiam partibus ad Hungariam pertinere praetendit, indubie e principio eo, quod accessorium sequatur suum principale. Verum ad Geographicam Dioecesis Zagrabiensis mappam inviatur, ut videat propriis oculis: an aliquando haec loca vel potuissent ad Comitatum Crisiensem pertinuisse. Interim jam in limine per Croatam citata justificant, quaestionata Loca non ad Hungariam stricte sumptam, sed ad veram Slavoniam seu Croatiam interamnensem pertinere penes omnes vociferationes eorum, qui nunc surexerunt, scribilantium.

Pag. 19. Praetendit Joannem Horvath non eotum fuisse Banum, dum an. 1386 in Reginas illud facinus commisisset. Verum prius, olim antea Banum, quin remonstretur, quando prius degradatus fuisset; sed contrarium reperiet in Responso ad §. 84. sub Nr. 7.

Digitized by Google

Pag. 22. Praetendit, Castellum Berzöce in Comitatu Crisiensi fuisse, quin explicet locum ubi, cum Croatis eatenus nihil constet; notum autem perbene sit ex Ludovico Nagy: Praedium Berzöcze Episcopi Zagrabiensis in Comitatu Baranyiensi esse. Hoc proinde stante, et hac ratione necdum eliso, necessario sequi deberet: Nicolaum Ujlak solum Illok in Slavonia habuisse, indeque Decimas ab eo solutas ad Episcopum Zagrabiensem pertinuisse.

Pag. 23. Castrum Fejérkö »*Bĕla stĕna*,« et »*Dobra Kuttya* (*kuća*)« etiam praetendit per commissiones aulicas 1745, 1746 et 1747. Comitatui Posegano, Veröcensi, et Legioni confiniariae Gradiscanae applicita fuisse, consequenter contractus Decimales cum Lupo Rasciae Despota quoad inferiorem Slavoniam intuitu Jurisdictionis Episcopi Zagrabiensis nihil probarent, undecunque avulsa sunt, ad Jurisdictionem Regni et Bani semper pertinebant, et pertinent hodiedum Particularia loca, quod plura homonima esse soleant, caeteroquin quoad universalia nihil decidunt, ubi clari Hungaricarum legum articuli 34. an. 1498 et 91. an. 1715. rem manifestam faciunt, in Savia haec et plura incluso Sirmio ad Slavoniam, et non ad Hungariam stricte pertinere.

Pag. 24. Negat e Commissione an. 1495. Joanni Corvino qua Bano data per Comitatum Crisiensem, et Veröcensem in scelerum patratores inquirendi aliquid pro Croatis probari. Palatini autem Ország, et Judicis Curiae Regiae pares Commissiones pro Hungaria probabunt? Curiosa praetensio!

Pag. 25. et 26. Tertium Capitulum in Diplom. 1498. attactum negat esse Poseganum. Ubi in priori an. 1462 per Mathiam I. Feria 4. post festum S. Laurentii clare legitur: Fidelibus Nostris Zagrabiensi, Chasmensi, et de Posega Ecclesiarum Capitulis salutem et gratiam apud Kercselich p. 286.

Pag. 27. Negat exstare Diploma Ludovici II, ratione controversiae inter Episcopos Zagrabiensem, et Quinque-Eccle-

Digitized by Google

siensem decisorium, relegatur proinde ad alterutrum horum Episcoporum pro eo sibi ostendendo.

Pag. 28. Negat Veröcze, Ujudvar, et Velika, quae pro Depositoriis annonae per art. 14. 1538 destinata fuerant, propterea in Slavonia jacuisse. Cum an. 1812 et 1813 plura Depositoria militaris annonae Hungaricae in vicinis locis Austriae, Moraviae et Styriae constituta fuerint, quin inde concludi possit, eadem loca ideo ad Hungariam pertinere. Dein quod Velika ea, quae prope Posegam est, ex eo intelligi non potuerit; quia Posega, Essek cum tota inferiori provincia jam praecedenti an. 1537 a Turcis subacta fuisset. Sed meminisse oporteret, quod ideo Hungari suam annonam ad Caesarea Loca devexerint, ne Caesarei, qui eas ultro promovebant, ad Hungariam excurrere debeant; ubi nihil constat, quod Hungaricae vecturae Veröcze exspectaverint, ut convectam per Croatas eo annonam ultro promovissent. Sed et ex quo historico Tibi constat: Posegam, Esseg, ac totam inferiorem provinciam jam an. 1537 a Turcis subactam fuisse? Legas in Parte II. pag. 35. hujus Tui operis: invenies Eodem Lib. XIII. pag. 131 (Istvánffy) ad an. 1537 .... Disputatur interea militari in consilio: an eadem via uti planiore, vel relicta ad dexteram Posega ... progredi expediret. Omissa igitur Posegana via, haec, quae campestris, et planior erat, eligitur. Sicque Slavonico ad sinistram itinere suscepto Castra promoventur: nempe a Kapronca per Bersecz in Comitatu Crisiensi versus Veröcensem arcem, Valpo ad Essekinum. Est quidem verum ex eodem Istvánffy citato libro victoriam per Turcam ad Essekinum obtentam fuisse. Sed et illud ex Pray H. R. H. T. III. pag. 48. constat, quod Rex ad cladem reparandam coeso (perfido Caczianero) Jurisichium subrogaverit, addito Francisco Batthyanio Castriferrei Comite. Et p. 50 Mehmetus primum an. 1538. Castra sua inter Zemlinum et Szabacsum metatus est. Et teste Ludovico Nagy T. II. N. P. G. S. p. 22. an. 1543 primum Posega victima Turcarum

Digitized by Google

evaserat. Et jam citatus Csevapovich p. 50. Arx Veröcensis adhuc an. 1547 trium mensium spatio virtute Amazonis Hungariae Conjugis Petri Perényi barbarorum Conatus fatigaverat. Adeoque SS. et OO. Regni Slavoniae poterant adhuc 1538 Festo Epiphaniae, de Veröcze, Velika, et Ujdvar disponere.

Pag. 29. impugnat art. 11. an. 1608 ad Comitatus Syrmiensem, Veröcensem, Poseganum et Valko extendi potuisse, quod hi primo intra Dravum et Savum non includerentur. II. quod Provinciae hae tempore latae legis per Turcas occupatae fuerint. III. Quod cum eodem tempore jurisdictio Bani ita constricta fuisset, ut praeter nudum nomen, activitatem, et authoritatem nullam habuisset, de ea solum augenda et restituenda actum fuerit.

Quantum ad I. relegatur D. Illustrans ad suae Partis II. p. 35. ubi clare legitur: Posega est citerioris Pannoniae Regio vicina Illyrico, quae inter duo flumina Savum, et Dravum paribus fere intervallis sita est ex Istvánffy.

Et pag. 39. e Martino Zeiler... Posega ist ein Schloss zwischen zwei Wässern, Drau und Sau. Et aspecta Slavoniae mappa Veröcensem etiam immediate ad Dravum per extensum jacere. Ac ita de aliis, prout videre est in Responsis ad X., quod res non materialiter sumi semper debeat, fluens nempe in Danubium Dravus nomen amittit quidem nominetenus, sed Danubio perbelle includitur, uti Scriptorum expressiones videntur habere: Szent Ivany in sua Dissertatione IV. Horographica Rasciae, cujus Comitatus enumerat: Posegiensem, Valponiensem et Sirmiensem latitudinem ponit intra Savum, et Dravum, utique inclusum Danubio.

Ad II. Nemini ignotum est, Turcas hoc anno adhuc inferiorem Slavoniam tenuisse; verum Regnum propterea juri suo non renunciaverat; prout ipse quoque Illustrans innumeris locis habet, cum stabilis pax inter belligerantes conclusa necdum fuerit.

Digitized by Google

Ad III. Si omnia fuissent in ordine, tunc utique lege opus non fuisset; sed recte justa lege opus fuerat pro suo posse.

P. 30. Quaestionata Sententia denato Skerlecz per Episcopum Verhovacz, verum Croatam, prorsus difficultata non fuit, nec ratio fuisset mentiendi; cum eadem debeat esse in Archivo etiam Diakovariensi, et Quinque-Ecclesiensi, quod Protestatio supponat, Processum non ignorari. Et jam Croaticus Character secum fert, quod non mentiantur.

P. 32. Error quidem typi in art. 40. 1715 per se etiam e Contextu patescit. Sed hoc ipsum, quod intra hos duos Comitatus, et Slavoniam Controversia fuerit, Baranyiensis autem Veröcensi opponatur, hic in Slavonia necessario esse recognoscitur. Idque eo minus negabile, quod sua p. 45. P. II. Conscriptores neoacquisticarum partium Comitatus Valkovensem, Poseganum, Veröcensem et Sirmiensem ad appellationem Slavoniae extenderint.

P. 33. praetendit, denatum Skerlecz art. 118. an. 1715 non recte intellexisse, quasi ex parte solius Croatiae Nunciorum petita, adursa, et resoluta fuisset horum Comitatuum reincorporatio. Sed clari contextus articuli tenores justificant Skerleczium, cum ibidem legatur solum (Communi Regni Hungariae voto). Art. 92. an. 1715 non fuit quaestio, quis Comitatus ad quod Regnum spectent; verum omnes neoacquistici suis utique Regnis conformiter Inaugurali Diplomati reincorporari petiti sunt. Distincta objecta distinctos utique articulos postulant. Nec art. 118. cum art. 113. ullum nexum habet. Ita in art. 88. 1723 solius art. 113. an. 1715 est mentio, quod nullum nexum habeat cum 118. 1715. Solus 50. 1741 provocat ad 118. 1715; et in hujus sensu inferioris Slavoniae Comitatus jurisdictioni Regni, et Bani subordinati sunt. Omnia ea, quae ante annum 1715 acta sunt, continentur in totidem distinctis 92., 113. et 118. articulis; isti enim utpote distincti ejusdem Diaetae articuli ad unum idemque Objectum spectare prorsus non possunt.

Digitized by Google

P. 39. Suppositum Verböczio Comitatuum Catalogum per fas, et nefas defendit. Sed legeret Notitias Praeliminares ad Sillogen Decretorum Comitialium Josephi Nicolai Kovachich Pestini 1820 qui posteaquam Szegedium taxasset, ubi sub Epigraphe Comitatus Regni Hengariae enumerat Verböczius, sequentes nominatim recensentur, sexaginta tres ... Sed scire vellem, dicit, ubi Verböczius istos Comitatus enumeret? In textu totius operis Tripartiti, quod iterato cum editione originali comportavi, nuspiam hunc Catalogum Comitatuum exhibet, et paucissimorum nominatim meminit, imo in monito ad Lectores diserte habet: in quinquaginta, et plura exemplaria transfundi, tot enim, et plures sunt Districtus ac Regiones, eas Nostri Comitatus appellant, adeoque huic Catalogo diserte contradicit; secus debuisset ponere: sexaginta et plura, quia illud plura inepte ad quinquaginta poneretur, si sexaginta et plures, id est tres supra sexaginta enumerasset etc. Hic est solum sermo, an quaestionatis Cathalogus sit opus Verböcianum, et si est, quare non fuerit ipsi operi insertus ibi, ubi eum Szegedi intrusit, aut uspiam alibi, ut credi posset, per Eundem compillatus fuisse. Et si etiam per inconcessum probari posset, opus genuinum authoris, tunc debuit vel per examinatoriam Deputationem rejici, vel per Ipsum Regem non probari; sequaciter pro probatorio Documento non potest obtrudi.

P. 41. Liber Rationum an. 1495 a Thesaurario Regio Sigismundo Quinque-Ecclesiensi Episcopo confectus exinde jam per Eruditos rejicitur, tanquam pro arbitrio, et erronee compillatus, quod teste Pray Hist. R. H. Part. II. p. 524. idem Thesaurarius in 40,000 fl. convictus exstiterit. Sed si etiam authenticus foret, ad Regni limites nihil conferret, quum Pontifex non sit solius Hungariae, sed aliorum quoque Catholicorum visibile Caput. Reliqua Illustrantis sunt vacua verba praetereave nihil.

In p. 46. Parte IV. Cum ridenda potius, quam credenda

Digitized by Google

polliceatur, et indubie Haeredibus, ac posteritatibus potius relicturus sit, quam quid similis tentaturus; relinquitur iis, qui eotum victuri sint p. 48. pares minae in Parte III.

Pag. 51. Distinctio Veröcze inter et Veröcze est singularis, loco scilicet, ac tempori novioribus congrua. Et cum Crisiensis non sciatur, ubi fuisset, per quem aedificata, ac destructa, profugit indubie ad Comitatum Neogradiensem, antiquiusne, vel novius quam est in Comitatu Veröcensi, de qua videatur responsum ad Fejérianum §. 17. Et non solum Zrinium, sed et Posega fuit duplex, alia ad Orljavam, et alia ad Dravum, utraque in Slavonia. Nam de Krassoviensi Duces Croatiae non loquebantur.

Pag. 52. Quod Veröcensis Comitatus arbitrio Sigismundi R. Banatui Slavoniae pro aliquo duntaxat tempore ex respectu commodioris Justitiae administrationis fuisset obnoxius, penes citatas litteras Herniani Cileae Comitis justius negatur, quam quod ex libitu asseritur juxta illud: Simplices assertiones per simplices negationes refelluntur.

P. 57. Uladislai II. Diploma anni 1496, quo sigillum Regni Slavoniae renovatur, negat: inferiori Slavoniae applicari posse. 1. Ex eo, quod ibidem dicatur inter Savum et Dravum Regnum Slavoniae esse; inferior autem Slavonia inter Savum et Danubium ac Dravi exiguum Tractum includeretur. 2. Quod eotum Turcarum insultibus proximus fuerit Comitatus Zagrabiensis, quod theatrum belli fuisset in Bosnia ad Jajczam, quae esset Caput Bosniae provocando ad LIV. Istvanfi non autem Syrmium, Valko, Veröcze Comitatus, qui antemurali Belgrado defensi ea aetate a Turcis tantum Bosniae et Croatiae inhiantibus, manserant tuti. 3. Quod pro hoc Privilegio excurrissent meri superioris Slavoniae Dinastae. Ad quae respondetur; et quidem Ad 1. Compendii gratia hic inviatur ad responsum intuitu Fejériani Dipl. X. dein relegatur ad propriam P. II. p. 43. ubi habet: Rasciam (quae est moderna inferiör Slavonia) ab Septentrione habuisse Hunga-

Digitized by Google

riam et Dravum fluvium, ab Ortu confluentiam Savi in Danubium; a meridie Bosniam, et Serviam, a quibus Savo amne separatur. Haec juxta defluentiam Savi habere in longitudine 25 Milliaria, in latitudine 12 Savum inter, et Dravum; particella illa nempe Danubii pro Dravo ultro sumitur. Sed et ejusdem P. p. 35. habes ex Istvánfi: Posega est citerioris Pannoniae regio vicina Illyrico, quae inter duo flumina Savum, et Dravum paribus fere intervallis sita est, et alia, quae repetere nec juvat, nec vacat.

Ad 2. Non recte provocas ad Librum IV. Istvánfi. Hic enim L. IV. et V. complectitur res gestas ab anno 1500 usque 1514 prout statim in limine operis advertere debuisses, adeoque ad Diploma an. 1496 eaedem res referri nequeunt; debebant proinde facinora, quae ante expeditionem Dipl. acciderunt, ibi commemorari. Et forte quae L. I. p. 3. continentur, quaeve jam eotum legati Hungarici Caesari Maximiliano allegaverant, rogando, ut arma in barbaros Turcas jam Sirmio et vicinis Istro provinciis imminentes sacro indicto bello convertere velit. Et L. II. p. 11. Item L. III. p. 22. et 28. ubi reperies, non solum Jajczam, sed et Šabacz, et plane Tractus inter Savum et Danubium in periculo fuisse. Sed nec in citato L. IV. probatur Belgradum sufficiens antemurale pro Comitatibus Syrmiensi, Valko, Verőcze; p. 32. enim ibidem legitur: Paucis ante nuptias (Uladislai) diebus Turcae trajecto ad locum, qui Malomffalva dicitur, Savo in Posegam, et Valconem Ungariae Regiones populabundi excurrerunt, et igne ferroque grassati magnam undique formidinem incusserunt: ita ut etiam ii proceres, quorum curae deducendae reginae munus delegatum erat, non parum sibi, ac Comitatui metuere cogerentur.

Thurocz apud Schvandtner p. 286. de Mathia Rege: Hic sui principatus primos circa annos ingentem Turcorum exercitum, qui Comitatus Syrmiensis in depopulationem se in-

Digitized by Google

gesserat, Castraque, Keolpen et Szent Demeter ad litus alvei Zauae vi ceperat, potenti Marte fudit.

Item jam citatus Csevapovich p. 138. II. Conventus S. Demetrii in hodierno Mitrovicz ... hunc demum Turcae an. 1462 funditus demoliti sunt cum Sirmio fere toto, quando Mathia Corvino in Hungaria regnante Halibegus Mysiae Praefectus populosum antea S. Demetrii Oppidum diripuit, et incendit etc. Teste eodem p. 583. Semlini Fratrum domicilium ... an. 1453, a Turcis devastatum. Georg. Pray H. R. H. P. II. p. 163. de Sigismundo ad an. 1391 simili dein fortuna in Turcas, qui Sirmiensem provinciam incursabant usus semel, iterumque clade affectos ab agendis praedis aliquamdiu cohibuit. Idem p. 446. de Math. 1475. Solutis Comitiis in Serviam cum 10 millibus contendens Szabacsum, ex quo Turcae crebro praedas in Sirmio et Slavonia agebant, obsidione cinctum in potestatem redegit. Ita quoque p. 450. ad an. 1477 Turcae in Slavoniam interea irruperant. Constat etiam id e tenoribus Donationis, Joanni de Maroth Bano Machoviensi an. 1404 factae a Sigismundo apud Kercselich p. 382. Insuper dum nefandissimi Crucis Christi hostes, utpote Turci valido eorum cum exercitu Comitatum nostrum Sirmiensem hostiliter subintrassent. — Et p. 383. Praeterea dum valida potentia Turcorum ... fluvium Sava transfretasset, et Districtum de Posega hostiliter subintrasset. — Dein apud Fejér II. et r. p. 50 legitur: Antonius Bonfinius Asculanus Regi Mathiae familiaris .... Dein Oppidum Divi Demetrii (Mitrovicz) ad Savum amnem situm non minimi momenti locus, quod per eum Turcae infesta in Illyricum arma ferre consvevissent, misso (per Regem Uladislaum) Despota obsessum, cum resistere non posset, deditionem fecit. Sed et redeas ad Tuam p. 52. et art. 1. 1518, reperies per Te citata verba: Ubi vero Jajcza hostium in manus inciderit, mox de Regno Slavoniae, Posegaque et Valko actum erit, quibus periclitatis etiam corpus Regni internum simili Calamitati, mi-

Digitized by Google

seriaeque subjacebit, insuper Carinthia, Austria et Magna pars Germaniae, ac Dalmatiae in faucibus hostium erit, et eorum praedae exponetur. Kovacsich Sylloge Decretorum Comit. p. 106. et 232. Sed et D. Instructor! Jajcza non est Caput Bosnae, cum sit in Croatia moderna Turcica, ut ostendit supra citata Maximiliani Shimek an. 1788. Mappa. Neo-est ad Savum contermina Comitatui Zagrabiensi, cum sit ad fluvium Verbasz contermina dumtaxat Bosniae. Et sicut multum distans a Savo in quacunque linea sumitur; ita multo magis a Comitatu Zagrabiensi, qui se non extendit ubique ad Savum Tractui etiam Sirmiensi contermimum. Chronologia, et Geographia sunt oculi quarumvis historicarum Dissertationum. Sed et postremo in Nota Tua ad P. II. Nr. 36. habes: Sed ego puto SS. et OO. Regni Hungariae studio securitatis Regni contra Turcas tunc adhuc periclitantis Incorporationi dictorum trium Comitatuum Banatui, seu Bani Jurisdictioni ... concessisse. Ergo post recuperationem esset antemurale Hungariae, sed ante amissionem dici non potuisset? Tandem.

Ad 3. Si etiam Ablegati ad Uladislaum II. fuissent realiter solius superioris Slavoniae Dinastae, quid id essentiae rei noceret? Si in Regni Hungariae Congregatione per universos sine discrimine Nobiles aliqui Posonio vel Pestino ad Suam Majestatem eligendi venirent Nuncii, certe vix honor iste obtingeret Individuo Krassoviensi, sed Posoniensi, Pestiensi, aut his vicinorum Comitatuum, unde plures Nobiles ad Regni Congregationem concurrerent, quum sibi noto libentius quivis grave suum negotium concredat, quam homini ignoto, utpote remoto, quin tamen propterea Comitatus Krassoviensis, aut alter, in cujus Individuum sors non caderet, propterea cessaret esse Hungaricus. Sic etiam, quod Dinastae Superioris Slavoniae, unde ad gremialem Electionis locum necessario plures Nobiles convenerant, electi soli etiam fuissent, quid ideo remotiores Comitatus cessare deberent Croatici? Quamvis inde, quod Vice-Banus inter illos fuerit, non sequa-

Digitized by Google

tur, quod recte superioris Slavoniae Dinasta fuisset, cum etiam actu et Vice-Banus, et Unus Magnas ad Tabulam Banalem Dinastae inferioris Slavoniae sint. Sed et meminisse oporteret D. Illustrantem earum terribilium collisionum, quae fuerant Uladislao recte eo tempore, cum Laurentio Ujlak, et recte forte ex eo nullus inde electus. Sufficit, quod nomine totius Regni Slavoniae preces Regi proposuisse sciantur. Consequenter nihil esse videtur, quod obstaret quaestionato Diplomati, ne ad totam Slavoniam trahi possit, sicut trahebatur usque ad D. Illustrantis somnia.

P. 58. Praetenditur Episcopus ille Quinque-Ecclesiensis, qui ex art. 7. an. 1572. judiciis publicis in Slavonia bis in anno Zagrabiae celebrari solitis interesse jubebatur, recte Joannes Monoszlai fuisse, qui qua una Praepositus Zagrabiensis hanc obligationem accepisset; ubi teste Kercselich H. E. Z. p. 258 Praepositus Monoszlai primum anno 1573 Episcopus Quinque-Ecclesiensis factus fuisset, adeoque talis integro uno anno prius ad articulum venire nequivisset. Hoc autem credi debet Canonico Zagrabiensi, ubi, si etiam Matriculae mortuorum non haberentur, mors, aut promotio singuli Canonici vel ea occasione praenotari debet, quando Praedium ejus per alium optatur, et altaria alteri confertur. Necessario itaque aut omnis in genere Episcopus Quinque-Ecclesiensis, aut certe is, qui eotum munere hoc fungebatur, intelligi debet, et non solus Praepositus Monoszlai.

P. 61. D. Illustrans dicit: Slavoniam adhuc anno 1687. maxima in parte Turcis paruisse; ubi tamen P. II. p. 41. expresse habet, quod Viroviticza jam an. 1684. 24. Julii, et Brezovicze 27. Imo an. 1686 plane Valkovar, Karlovicz, et Posega recepta fuissent, atque ita ex concessis etiam non implicaret art. 23. an. 1687. ad inferiorem etiam Slavoniam extendi potuisse. Chronologia est etiam unus oculus Historiae.

P. 62. Memorat luculentissima quaepiam diplomatica monumenta, positivas plane leges, fidedigna acta publica.

Digitized by Google

Sed quando cum illis proditurus sit in lucem, ne attingit quidem. Imo putat inde gravamen formari posse, quod in actis Comitialibus an. 1751, 1764, 1790, 1802, 1807, 1812, 1825. Comitatus Poseganus, Verőcensis, et Sirmiensis inferioris Slavoniae compellati fuerint; utique pluralitate votorum Hungaricorum, quin nuncii Comitatuum Domum reduces, eatenus in onus responsionis scilicet tracti fuissent. Jam amplius hoc per omnia non fiet. Sustinet dein hanc inferioris Slavoniae nomenclationem primum Saeculo 17. a Vulgo cepisse, dein decursu Seculi 18. Stylo Curiali, utique Hungarico, et apud omnes Scriptores. Quantum damnum, quod D. Illustrans necdum eotum Comitia frequentaverit! His interim omnibus non obstantibus ex Edicto quopiam R. ddo. 27. Aprilis 1746. emanato, Sirmiensis Districtus cum inferiori Slavonia Regno Hungariae, et non Archi-Ducatui Austriae illatus, submissusque Pro-Regis Croatiae Jurisdictioni, nempe ex Resolutionibus an. 1687, 1697. Item art. 118. an. 1715. 50. 1741, et 26. 1790. nec non aeque Rescripto Regio ddo. 27. Julii aeque anni 1746. Hic adminus Croatae lucrati sunt, et non ut acciderat, quod ex Littorali Austriacum, dein unice Hungaricum, nempe primo nomine, postea et re usurpetur. Ubi de extorquendo Croatarum consensu agitur, tunc sunt Croatae in sensu art. 5. an. 1618; 65: 1625 et 61: 1741 Indigenae Regni, Hungari, socium Regnum, Comembra S. Regni Coronae. Sed post expracticatum consensum, nihil horum, territorialia sunt singulorum. Et si de injuria fit quaestio, dicitur, ubi tunc fuerant Croatae? Ubicunque: pila Hungarorum semper, penes omnia sua pacta, et municipalitatem.

P. 64—66. Defenditur Verböczi, et ejus errores excusantur; sed quidquid, et qualitercunque fecisset, cum nulliunde seu consensus Croatarum probari possit, seu Decretum Regis desuper remonstrari, tantum valeret, quantum et scripta D. Gjurikovich. Ultimo quaerit ubique inferiorem Slavo-

Digitized by Google

niam, tantum ibi non, ubi est. Ideo deberet et sibi et suis dici: Quaerite, quod quaeritis; sed non est ibi, ubi quaeritis, Slavonia stricte dicta, seu rectius Savonią, seu interamnensis Croatia, quondanea Pannonia interamnia extra fluvios Dravum, particellamque Danubii, de solito loquendi usu Dravo inclusi, et Savum quaeri non audet, et haec tota quanta realiter indivisa, sicut olim fuit, ita et nunc est; solum ratione administrationis post recuperationem dividi incoeperat, quod superior jure antiquo Croatico, unde etiam Croatia passim appellatur, regatur; inferior autem jure neoacquistico. Utraque utique sicut residua Croatia subdividitur in civilem, aut passim provincialem, et militarem aeque ratione administrationis, realiter autem eadem utique manet. Quas vero D. Illustrans inferiores Slavoniae partes vocat, istae non sunt strictae Slavoniae; sed lato sensu ab Inoolis origine Slavis, et id physice solum, sicut quamque Regionem homines compellare solent. Superiorem unam, aliam inferiorem, sed illa specialis cum omni generali confundi omnino non audet.

Et ideo Croatae D. Illustranti pro eo amore, quo nobis pro veritate sua stratagemata, Rhetoricam, vaniloquia, et nuda Sophismata obtrudere quaerit; veritatem autem aetate Saeculorum firmatam, ac vetusta consvetudine stabilitam evertere studet, gratias agere prorsus non possumus. Sed nec plus lucrabimur in Parte II. ubi Situm, et ambitum Slavoniae, et Croatiae fingit ibi, ubi non est. Hic D. Illustrans praeprimis citat prolocutionem Joannis Hunyad; sed pessime ad se applicat. Hic contra hostem Regni integritatem defendendam recte svadebat: Illustrans vero iniquum bellum cum amicis, sociis, confoederatis, ad horum proprietatem occupandam excitare pergit. Et imprimis projicit, se posse infinitam plane seriem, quas utique finitus mundus capere non posset, quaeve pro finito populo superflua foret, Diplomatum et Actorum publicorum in medium adferre, quibus veritas propo-

Digitized by Google

sitae thesis luce meridiana (dum indubie universalis solis Ecclipsis esset) clarius demonstraretur; sed ne ex infinitis aliquid decerpere deberet, relegat potius Croatas, pro quibus latine scribendi onus sumpsit, ad suam hungaricam Dissertationem, ut plus ex illa, quam latina condiscamus. Sed ne nos etiam hic cum ignota lingua affligamus, credamus solum jurantes in encomia, quae propterea meritus est ab orbis Eruditis in plena mensura. Incipit solum historia hungaricarum in his partibus occupationum.

Praetendit, Bulgaros non modo in Regione Danubio, et Tibisco conclusa; verum etiam ad Danubii, et Savi confluentes in Sirmio, et parte Pannoniae Saviae habitasse, quibus Salanus praefuerat. Per Arpadum dein eundem Salanum, a quo Salankamen nomen retinuisset, Sirmio pulsum fuisse e proprio capite fingit; reliqua vero ex Anonymo B. R. N. per fraudem deducit. Etenim citatum C. 41 sonat de occupato non Salan Kamen, sed Zolon Kamen, quod fuit intra Tisciam, et Danubium, et non quod esset intra Danubium et Savum, quod sanis oculis luce meridiana clarius patet; de Sirmio autem nec jota reperitur. Nec dicitur Arpadus cum Salano hic pugnasse; verum solum attingit ibi transnavigasse Danubium versus Albam Bulgariae, ubi Zova descendit ad Danubium. C. 42. sonat de Serbica Croatia, et C. 43. Quod a Peturgoz descenderint, juxta fluvium Culpe Castra metati ad Zavam pervenerint, Castrum Zabrag, Posaga, Vlcon ceperint, et inde Danubium in portu Graeci transnavigaverint, redeuntes ad Arpad. Quod totum formalem occupationem non docet, solum transvolassent, ex quo nec de obsidibus, nec de relicto Domino vel aliqua mentio, sed nec portus Graeci in Pannonia Savia vestigium.

Et si sensu C. 57. Hungariae ab occidente mare, ubi Spaletina Civitas est, prope meta fuit, sic certe Carlobago, Segnia, Buccari et Flumen Hungarorum eotum fuisse implicat. Et si aliquid veri esset, id intelligendum foret de Croa-

Digitized by Google

tia Servica, quam Anonymus confudit cum genuina Croatia, et inde pro more suo fluvios, et loca Croatica depinxit. Et ideo Pericope haec Anonymi per nullum Eruditum acceptatur. Ut hic ea non repetantur, quae jam dicta sunt in Responsis ad Fejérianos §§. 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 15, 17 et 48. nec non aliis locis, ad quos pro uberioribus audiendis D. Illustrans relegatur. Citata Chronicae Turoczianae C. 39, 40, 41, 2 et 3. non scitur ubi reperiantur. Verum in eodem opere Parte II. in C. III. IV. V. VI. VII. VIII. et IX. describuntur loca habitationis omnium septem Capitaneorum quin ulli locus in Savia assignatus conspiciatur. Prayi quoque, et Katonae alter sensus est, ut jam ostensum. Et hoc vivo Constantino Porphirogenita nec fieri potuisset, cum hic usque annum 949 scribens eatenus nec verbum habeat. Dein transivit ad fide sua digna Diplomata, historica testimonia, legum articulos, et alia vetustatis monumenta. Et initium facit

1. cum Diplomate Fundationali Episcopatus Quinque-Ecclesiensis, quin ejusdem hac in parte authentia, ac praetensis Locis applicatio adhuc per quemquam evicta esset. Et ideo ad lucrandum pretiosum tempus inviatur D. Illustrans ad Responsa relate ad Fejérianos §§. 16, 17, 18, 42, 60, 64, et 68, aliaque per decursum operis illius attacta.

2. Allegat Testamentum Radonis Palatini. Quod quam inapplicabile ad quaestionem sit; reperiet in Responsis ad §. 19, 60 et alios ejusdem Fejér.

3. Esset Diploma S. Ladislai R. an. 1093. Quod etiam quam inapplicabile quoad Köárok, et locum Controversiae inter Episcopos Quinque-Ecclesiensem et Colocensem in Slavonia, cum inter eos fuisset Fabianus Bacsiensis. Et quomodo Desiderius Colocensis vel aliquid ibidem retinuisset, si Stephanus Quinque-Ecclesiensis ad tenorem Testamenti Radonis Palatini triumphasset quoad totum Sirmiensem Tractum? Uberiora vide in Responsis ad §§. 18 et 42 Fejérianos.

4. Foret: Privilegium Andreae II. ratione cujus vide

Digitized by Google

Responsa ad Fejérianos §§. 60 et 68 ac alios. Nec Kvarok, nec Köarok, nec Lisznicza, nec Volko uspiam in Croatica Slavonia reperietur unquam, quidquid involvatur et fingatur. Quantum item ad Lisznicze responsum ad §. 83 Fejérianum.

5. Diploma Andreae III. ubi Albertinus Maurocenus totius Slavoniae Banus, et Comes perpetuus de Posega nominatur. Per id Posega a Slavonia ita parum distinguitur, sicut Zagrabia, cujus Sup. Comes est Excell. D. Comes Haller Banus Dalmatiae, Croatiae ac Slavoniae.

6. Bulla Urbani IV. citatur, vi cujus Cantor Poseganus in dignitate Archi-Diaconi de Valko confirmaretur An. 1264. Verum ibi non attingitur: an quaestionatum Valko sit ad laevam vel dexteram Dravi partem, sicque Posega ad Dravum vel Orljavam fluvium? Sed et idem Cantor in contextu non habetur in Capitulo de Posega; verum in genere in Ecclesia Quinque-Ecclesiensi. Nec dicitur Valko in Hungaria; verum quem Archi-Diaconatum habebat promotionis Suae tempore in Regno Hungariae, utique lato sensu, Timotheus Zagrabiensis Episcopus. Jam anno 1264 hae partes poterant dici Hungaria, quemadmodum et Hungarica Loca in Imperio Austriaco utique associata associantis nomen solent accipere.

7. Quid ideo Valko et Sirmium ad Hungariam pertinebunt, quia R. Slav. Banus Daniel filius Lachk in iis collectam faciebat pro Baronibus Hungaris? Hac ratione etiam Zagrabia erit pars integrans Hungariae, quod pro Arvensibus collectas solicitet.

8. Cum Vajas aliquis fluvius esse non sciatur in Slavonia, nihil probat. Et cum sub Colomano Bosnia cum Croatia, et Dalmatia obtenta esse sciatur, quo pertineat, adhuc in quaestione est. Et Hungaria lato, et stricto sensu sumitur.

9. Non majus jus probat quoad Posegam, quam ad Regna Dalmat. Croat. et Slav. Et ad quid Posegam Hungariae subjugassent, si Hungarica fuit?

Digitized by Google

10. Jacobus Episcopus Sirmiensis, ad cujus petitum, et contra quem Sententiam tulit, quod Bon-Monostra, et Dioecesis Sirmiensis ad ambitum Hungariae pertineat? Ita quoque

11. ad cujus Actionem deliberavit in stricta Hungaria esse Sirmium et Valko?

Monumenta haec omnia recto ordine hic nihil probant. Non enim hic agitur de eo, cui Regno quae Provinciae competant; sed incidenter dicuntur loca esse in Hungaria utique lato sensu sumpta. Alioquin tales expressiones nullius proprietatem laedunt, intelliguntur semper salvo jure alieno. Sed et confinia possunt esse incorporativa, et non incorporativa. Et aliud S. Regni Coronae est incorporari, aliud Regno ipsi. Ut adeo mirum, quomodo Vir eruditus seria tam levibus tractet.

12. Relegatur D. Illustrans ad Episcopi Szörényi opus: Vindiciae Sirmienses p. 209 et ad Responsum relate ad Fejérianum Diploma N. XVII.

13. Confinia possunt esse inclusiva et exclusiva. Simpliciter aliquid projicere, est tempus profundere.

14. Monumentum genuinum utique esse non potest, quod calculi ita adinvicem cohaererent, sicut Fejériani seriales numeri. Ita quod Slavonici Fumi 31,225 per dimidium florenum efficerent 16,112½ et non rectiori calculo 15,612½ florenos. Dein quid Hungari admisissent integrum Comitatum Veröcensem Banatui Slavonico cedere? Et voluisset Mathias Croatis favere, qui teste Georgio Pray H. R. H. P. II. pag. 461 videbatur ad haec tanquam de industria connivere Turcis, ut Germanos... propriis damnis ad commune bellum in Turcas suscipiendum concitaret. Et qui Croatas suis innovationibus ad extremum affligebat. Nota quoque 19. est potius contra, quam pro Illustrante; si enim Banatui Temessiensi praeter Comitatum Temesiensem etiam Torontaliensem, Aradiensem, Bodroghiensem et Bacsiensem solum subordinavit, et eorum Comitatuum annuam Contributionem ei ces-

Digitized by Google

sit, ut eam ad stipendium militum limites defendentium, ad instar Bani Slavoniae, Croatiae, Dalmatiae converteret. Debuerunt ergo ultra Verőcensem etiam Valkoviensis, Sirmiensis et Poseganus Banatui subjici Croatico, cum improvisos eosdem relinquere non expedivisset.

15. Monumentum. Mandatum quippe Uladislai II. 1514. ad Comitatum Valko expeditum, ut viritim contra Hungaricos rebelles Rusticos insurgant sub ductu Palatini, nihil probat coram iis, qui sciunt, eo anno Emericum Peréni simul etiam Banum Croatiae fuisse et Locumtenentem Regium in absentia Regis, prout videre est in Responso ad Fejérianum in serie Dipl. XXIX. ut adeo hic non sepimentis, verum debita Historiae notitia opus sit. Caeteroquin si Valkoenses Hungari fuissent, eos contra Hungaros non vocassent.

16. Etiam non subsistit, quod Comitatus Verőcze nunquam diceretur in Slavonia. Legat Fejérianum in serie XLII. ubi legitur: Castrum Verőcze cum Comitatu in Regno Slavoniae. Et p. 72 in Glossa exceptis quinque Castris videlicet Verencze Emerici filii Vajvodae de Marcellis in Regno Slavoniae etc. Suppl. Vestig. Comit. Kovachich Sylloge T. I. p. 98. a. 1445 art. 4. Et in sensu hoc Diploma Fejérianum sub LII. Et Pray P. III. p. 409. Lesleus Veroviczium in Croatia.

Quantum autem ad leges a. $183^2/_6$, satis dictum esto, quod nec D. Illustrans tacto pectore negare posset, leges Comitiales, praesertim citati anni pro Hungaris contra Croatas nihil probare. Sed ubi etiam positivae leges pro Hungaris contra Croatas in essentia sunt, quae praevalere possent art. 31: 1498, et 91: 1715?

17. In articulo 22. 1445 e Sylloge Kovachichiano pag. 94. urgetur distingui Com. Posega, et Verőcze a Slavonia, quin advertatur, quod ex eodem Sylloge mox praecedenti pagina ejusdem Anni 1445 a. 4. habeatur: In partibus tamen Regni Slavoniae penes fluvium Zava, Drava et Posega for-

Digitized by Google

talitia propter metum Turcorum facta, si quae ex eis deponi debeant, relinquantur voluntati nobilium partium earundem deponenda — exceptis quinque Castris, videlicet Verencze Emerici filii Vajvodae de Marcellis in Regno Slavoniae. Et quid omnia, quae a Slavonia separarentur, pertinebunt ad strictam Hungariam?

Ad numeros 18, 19, 20 et 21 ac similes alios sufficit reponere, quod compillatores horum articulorum Testamento Radonis, in quo pure per omnes pro Slavonia equitatur, decepti erraverint, si per tales expressiones eosdem Comitatus stricte Hungaricos esse intelligi voluerunt. Quasi si etiam genuinum istud decantatum Testamentum esse admitti valeret, recte ad Savum Croaticum trahi posset? Ac si etiam alii in Hungaria fluvii Savi nomine non venissent, prout et Claustra S. Demetrii ibi quoque non fuissent, et Köárok ad stricte sumptam Hungariam potius, quam ad Slavoniam applicari nequiret.

22. Ubi, per quem, ad cujus ordines, qua occasione praetensum Regestrum Comitatuum R. Hungariae sub Sigismundo an. 1433 confectum, per quem item censuratum, approbatumque fuerit? authentice prius doceri deberet, quam in probam duntaxat trahi.

23. Si ex art. 1: 1518. ideo Comitatus Posega, et Valko ad Hungariam spectarent, quod ibi a Slavonia distinguerentur, sic etiam Austria, Carinthia, et Germania ibidem enumeratae ad Hungariam pertinere deberent, felicissimo nempe Hungariae tempore.

24. Cum nec remonstretur, quae haec linea fuerit 12 Comitatuum a Zevrinio usque Posegam, sed nec indicetur, ad quam Posegam, an nempe Comitatus Krassoviensis, vel eam, quae est in Regno Slavoniae ad Dravum, vel Orljavam sitam; in jure nihil probat.

25. Anni 1525 Comitiorum articulis in Corpore Juris ne vel in Sylloge conspicuis major fides? Sed et hoc transmisso

Digitized by Google

si citatus articulus 36. etiam conferatur cum 16: 1498, iidem Comitatus ex Savonia, cum Savus ex illis quasi Peninsulam formet, non exibunt.

Sed et 26. commemorata facta Jurisdictionis per Palatinum; et Judicem Curiae in his Partibus exercitae, infelici ea Periodo mixta, quando ipsa coronata Capita de retinendo Regno, de securitate vitae, et libertatis suae trepidabant, et ultimatim umbrae simulacra potius Regum, quam Reges fuerant, omnia sus, deque per factiones, intestinos, et externos motus ibant, et licet Carolus I. a. 1325 omnes exemptiones a Jurisdictione Bani in Slavonia ad importunitatem petentium extortas cassasset; Ludovicus an. 1359 etiam Privilegium super eo concessisset, quod Incolae R. Slavoniae coram nullo Judice trans fluvium Dravam Juri stare teneantur; verum in praesentia Bani, aut ejus vices gerentis, respondere sint obligati; horum vero Judicio non contenti in Curiam Regiam valeant appellare. Per Sigismundum 1395. confirmatum teste Regni quondam Proto-Notario, actu Aulico Consiliario Referendario Kussevich in municipalibus J. et St. Reg. D. C. et Sl. p. 37. His tamen omnibus nihil proficientibus impediri non poterant involationes Palatinorum ad has Partes, et Banorum ad Hungaricas eo magis, quod Sigismundus pro volubilitate sua 1434 etiam disposuerit, ut mandatis praeceptoriis Palatini et Archi-Episcopi locus detur in Slavonia, quod essent Judices Ordinarii aeque ac Banus. Mathias etiam Corvinus non obstante articul. 13. Decr. II. perpetuis suis innovationibus cum Croatis eatenus nullatenus potuerit convenire. Et sicut Verbőczy in Dedicatione operis sui Tripartiti fatetur: Quippe cum apud Nostrates eo in genere nihil hactenus exstiterit, aut origine diuturnum, aut sanctione stabile, aut perenni usu, ac observantia roboratum; sed et ex cujusque fere Principis, et Regis nutu, et arbitrio novae constitutiones, novaque Edicta, per singulas nedum Aetates; sed paucissimorum quoque annorum spatia emanaverint, quae inter sese

Digitized by Google

plerumque dissiderent, et adversis quasi frontibus obluctarentur. Et ipse Rex in confirmatione loquitur: non semel varias constitutiones, et statuta partim sponte nostra propria, partim precibus fidelium nostrorum edidimus. Quod ipsum etiam recognoscit Rosenmann in Jure suo publico Regni Hungariae, prout habetur in Responsis ad Fejérianum §. 85 et priores a 30. usque 33. Quo et D. Illustrans, si dubitare qua historicus potest, relegatur.

27. Citatus Stephanus Verbőczi, deberet primo probari, quod aliquem cathalogum Comitatuum confecerit, cum apocryphis scriptis fides non adhibeatur. Ad uberiora videnda relegaris ad 18. et 23. Part. I. proprios. Nemo autem sanae mentis Tibi credet, quod, si huic apocrypho Catalogo fides non adhiberetur, aliquid de Juribus, Libertatibus, ac immunitatibus timendum haberet; cum per id authographum Verbőczianum opus Tripartitum nobis notum non impugnetur. Qualis ars, ac tentamen hominibus imponendi!

28. Petrus Ranzanus, Homo exterus, physicam duntaxat, et non associationis Geographiam scripsit, et sicut se res habuit sub Mathia Rege, cujus imperium tantum esse dixit, ut hinc Adriaticum, illic Sarmaticum attingat mare. Joannis Sambuci fides apud Kercselich p. 390, 391, satis superque taxatur. Ut adeo mirum, quod homo, qui ab eruditione tanta encomia jactat, haec ignoret, aut se ignorare fingat. In fine qualis Logica? Si ideo, quod ultra Hungariae terminos jacere Belgradum dicatur, si stricte sumatur, etiam Slavoniam Croaticam includere deberet.

29. Bonfinius aeque tantum hic probat, quantum Ranzanus.

30. Joannes de Turocz Hungariam lato sensu sumpsisse conspicitur undique. Caeterum de erroribus Turoczii non minus ac Anonymi B. R. Notarii vide jam citatum Csevapovich p. 224.

31. Scriptores Tui exteri ita intelligendi sunt, quemadmodum et hodierni, dum sub Austria etiam Hungariam intelligunt, sub associantis nomine associatam.

Digitized by Google

Ita Ephemerides Zagrabienses ad annum 1842. Nr. 34. ubi e Pesti Hirlap sequentia legebantur: »Dieses... Ungarn hat ohnediess nie eine besondere Rubrik in den Spalten der weltberühmten Allgemeinen Zeitung gehabt und werde immer unter der Rubrik Oesterreich angeführt. Nun das ging noch an. Wir haben ja, Gott sei Dank, einen, und man kann nicht von der Redaction des ersten Blattes der Welt verlangen, dass sie sich mit solchen Geringfügigkeiten, wie das ungarische Staatsrecht abgeben soll.« Quantum ad Consilium Aulae Bellicum dici debet: Qualis interogatio, tale responsum, in quo tamen Veröcensis Comitatus Slavoniae includitur, atque ita D. Illustrans illustravit nihil.

32. Stephanus Broderich describit cladem Mohacsianam, et non associatorum Regnorum cum associantibus Statuum Historiam. Dicit tamen: Huic citeriori Hungariae, ubi Dravum transiens annexa Slavonia est, ergo omnimode post Dravum esse Slavoniam etiam sustinet conformiter art. 34: 1498 et 91: 1715. Item ultra Dravum Valko.... Sirmio, et ei Regni parti, quae inter Savum et Dravum (Valko et Posega) per ripam Danubii jacet, Paulus Tomori praeerat. Jam ejus tempore Essekinum nec fuerat hungaricum, nec Slavonicum, sed Turcicum.

33. Quid fuerit Nicolaus Istvanfi, Biographia Ejus parum ad rem confert. Quantus Geographus fuerit, ostendit per id, quod L. IV. p. 31. fluvium Bossut in Verbaszum fluere praetendit, et Unnam L. II. p. 11. vult sub arce Dubicza in Savum fluere, et Croatiam a Slavonia dividere. Ubi Csevapovich p. 244 Tota Slavoniae Regio trino principali flumine cingitur. Danubio nempe, Dravo et Savo .... praecipui vero illius fluvii etiam veteribus noti habentur I. Bacuntius de quo Plinius.... alter amnis Bacuntius in Savum Sirmio oppido influit ... est hodie fluvius Bosut in suo ortu Bich nuncupatus. Relate ad alia in responso ad Fejérianum §. 42. relegatur. Interim et hic ponit Posegam inter Savum, et Dra-

Digitized by Google

vum, et ut omissa via Posegana Slavonico ad sinistram itinere suscepto a Kapronczа .. versus Veröcensem Arcem Valpo ad Essekinum castra promoveantur. Ergo Veröcze, et Valpo fuerant in Slavonia.

34. Joannes Zermegh inducitur scripsisse: Trajecto (Solimanus) Dravo cum omnibus copiis Slavoniam igne, et ferro vastat; multosque captivos abducit, et per Posegam, et Sirmium ad propria revertitur. Curiosa quaestio. Si Comitatus Posega, et Szerém Slavoniae fuissent inclusi, nominata Slavonia eos commemorare superfluum fuisse? Quasi si quis diceret: Gjurikovich peragrata tota Hungaria per Sopronium ad Styriam transivit, praetendi posse Sopronium Hungariae non includi. Quam levia!

35. Paulus Gregoriancz dicit quidem Episcopatum Sirmiensem in partibus Regni Hungariae, et non in ipsa Hungaria fuisse. Sed jam anno 1558 fuisset proprie in Turcia.

36. Ex Antonio Verantio, seu Vranchich, male aliquid postulatur, quod dum dicit: »insequens annus 1537 clade »Joannis Kaceaneri in Pannonia inferiori ad Essekum et »Garram accepta memorabilis,« haec oppida in Hungaria, et non Slavonia locet; cum in Pannonia inferiori etiam Savia, Savonia, Slavonia aeque fuerit, et Essekinum, ac Garra recte in hac sit.

37. Franciscus Forgach ad an. 1566. Comitatus Simeghiensem, Baranyensem, Tolnensem, Valponensem Hungariae Confinia, et non Hungariam compellat, vere infelici eo tempore, quin aliquid contra Regnum Slavoniae inde deducatur. Sed et per pacem inter Ferdinandum, et Turcarum Imperatorem an. 1562 initam Valko teste etiam pagina Tua 33. in Turcarum potestatem cum reliquis inferioris Slavoniae transiverat.

38. Quod Paulus de Gregoriancz Episcopus Zagrabiensis, et Franciscus ab Ujlak Episcopus Jaurinensis Locumtenens Regius an. 1552. Hungariam florentem appellassent, Croa-

Digitized by Google

tis non constat; verius jacentem, et laceram in Praefatione p. VII. clare legere est. Et reipsa potius Turcicis, quorum realiter fuerant, aut Austriacis ex Tractatu inter Ferdinandum, et Zapoljam Varadini an. 1539 teste Georgio Pray H. R. H. Parte III. p. 52 inito: »*Slavonia cum Croatia, et Dalmatia Ferdinando, Transilvania vero Zapolyae cedant,*« quam hungaricis debuissent adnumerari eo tempore Slavonici: Sirmiensis, Valko, Posega, Veröce Comitatus. Nec videtur, in qua Parte, titulove id fecissent, et cur id eximitti debuisset, quod tanti viri ex quocunque demum incidenti, quamvis ultra suam sphaeram fecissent.

39. Faustus Verantius an. 1583 inferioris Slavoniae Comitatus gratis Hungariae adnumerasset, dum e pace inter Ferdinandum opera Legati Busbekii, et Turcarum Imperatorem anno 1562 confecta inferiores hi Comitatus Veröcze, Valko et Sirmiensis in Turcarum potestatem transiverunt, siuoque Bassae, qui Posegae residebat, paruerunt, fide etiam Tua superius p. 33. per annos 163. Vides quanta Tuis scribilantibus fides!

40. Quemadmodum certum est, quod Zacharias Mossoczy, et Nicolaus Telegdy leges aliquas hinc inde collegerint, per posteritatem acceptatas, plures tamen omiserint: ita verum manet, quod nulli articulo quospiam Comitatus inseruerint, adeoque collectio eorum, si illis etiam adscribitur, relate ad Comitatus probatoria non est.

41. Petrus Révay in opere suo 1659 edito Sirmiensem Tractum gremio R. H. adscribit, Servia aut Rascia extra, et intra Savum, Sirmio beatissimo sinui Hungariae confinis, et conjuncta Istro finitima ad Bosnam protenditur. Sed pro hoc evincendo gladius, et non calamus requirebatur.

42. Georgii Petö Sec. XVII. Historiographi etiam vana adhuc totum absque viribus iva, quantacunque ejus laus, honor, et gloria; quaestionati enim Comitatus nec Hungaricis,

Digitized by Google

nec Croaticis, sed Turcicis realiter accenseri suo tempore debuissent.

43. Martinus Zeiler edidit: »Beschreibung des Königreichs Ungarn, und der dazu gehörigen Länder,« adeoque Hungariam lato sensu sumptam, quamvis totum inepte pro an. 1664. quando adhuc sciri non poterat futurus exitus rerum.

44. Joannes Ferd. Behamb enumerat urbes in Hungaria Austriacas, et Turcicas, cum paucis nefors adhuc residuis se non occupat, adeoque ad rem nihil. Ad reliqua respondebitur, dum terribiles quaestionatae III. et IV. Partes prodierint.

Quibus praemissis ad conscribendam revindicationis, et Reincorporationis Comitatuum inferioris Slavoniae Sec. XVII. et XVIII. historiam se ideo posuisse declarat, quod a pluribus ignorari arguatur. Sed nemo veritatis amans ei propter truncatas in essentialibus citationes et studiosas similium reticentias, gratias aget. Et ut caetera praetermittantur p. 43. citat Episcopum Szörény in Descriptione Sirmii 1746. 8. p. 15. dicentem: »Rascia proprie est pars orientalis Regni Serviae, sic dicta a Rasca fluvio per eam labente: quia tamen natio Rasciana, praesertim post occupatas suas Ditiones a Turcis, transfudit se partim etiam ultra Danubium ad partes Temesienses, saepius nuncupantur et hae partes nomine Rasciae.« Illud autem, quod immediate ibi sequitur, quodve quaestionem recte sub Incude positam decideret: *»licet et confluentia Savi ad Danubium reipsa spectet ad Regnum Sclavoniae; partes vero illae Trans-Danubianae circa Temesvarinum et infra ad Regnum Hungariae«* acceptum in rigore. Deus parcat Tibi, et ideo Lectores estote cauti ad hungaricorum scribilantium citationes.

Dein p. 47. in fine pollicetur B. Resolutionem ddo. 30. Octobris 1698. se producturum, in qua nulla specialium Jurium municipalium, Statutorum, peculiarium legum, et consvetudinum R. D. C. et S. mentio fit, nulla provocatio, ut

Digitized by Google

neoerecti 4 Comitatus easdem observare teneantur, nulla inviatio eis data, ut Bano dictorum Regnorum, qua Judici eorum ordinario obtemperare oporteat. Sed ubi unice leges et consvetudines Regni Hungariae commemorantur. Sed ex quo cum tali non prodeat; Croatae hic producunt altiss. Resolutionem de 28. Sept. 1697 per coaevum Scriptorem recognitam, et per D. Fejér per extensum in serie suorum Diplomatum insertam, prout p. 122 sub LXVII. videre est. Quantum vero ad illud, quod p. 52 attingitur, quod more hungarico, non in dimidio, ut Croatae et Slavonii contribuant, Nuncios proprios ad Diaetam R. cum jure Sessionis, et voti postliminio revindicati mittant. Ad haec sua dubia, et anxietates D. Illustrans inveniet solutionem apud Eundem Coaevum Scriptorem et fungentem Concommissionarium Balthasarem Adamum Kercselich de Corbavia Abb. Canonicum Zagrabiensem, ac in Regnis Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Tabulae Judiciariae Assessorem (Croatarum prorsus nuspiam amicum, quod non suspexerint in eo, quod idem sibi imaginabatur) in prael. Not. Periodo IV. p. 405.

Ita inducta, firmataque Regnicolari, et Comitatuum Jurisdictione, cum oblatum ab his Comitatibus Cassae eorundem ratiocinium status Regni Sclavoniae assumere (propter sarciendum agglomeratum defectum) renuissent, consequenter Posonium ad Consilium R. Locumtenentiale submissum fuisset; cum item occasione Diaetae an. 1751. ex illis neoerectis Comitatibus neminem intra Regni nuncios collocare voluissent; sed vota eorum rejecta ideo exstitissent, quod ex Caroli VI. instructione datae Tab. Jud. Zagrab. per Eum erectae; Causae violentiales contra Supremos Comites, aut V.-Comites movendae, ab eadem judicari deberent, non autem a Vice-Comitibus, et tum contra ejus temporis supremum Comitem plures motae fuissent, hinc quia ex Vice-Comitibus illis non credebatur reperiendus, qui ad vota Supremi Comitis Comitatuum Zagrabiensis, et Crisiensis preces in Diaeta an. 1751.

Digitized by Google

abrogandi illius puncti instructionis Carolinae urgeret, (prout art. 36. est abrogatum) ideo vota, precesque illorum de eligendo, aut adjungendo ex illis aliquo Regni Slavoniae Nunciis, audiri nequivere. Quare cum in Diaeta illa de augendo Contributionali quanto ageretur, et facto Statuum Sclavoniae Rationes eorum Consilio Locumtenentiali subjectae essent; intuitu quoque aliorum gravaminum Nuncius Ablegatis, cognitione rerum, partiumque illarum carentibus, inferiores illi Comitatus suos miserunt oratores: ex quorum propositionibus quaestio suscitata, agitataque est: num ad Status Regni Slavoniae, aut vero Hungariae pertineant? Disputationi ab utrinque fundamentum praebuerunt memorati articuli 1741 (utpote 18 et 50). Porro cum idem fuerit Regni Sclavoniae Proto-Notarius in utraque Diaeta, felicissimusque fuisset ad ponenda quaestionibus substrata, easque ambiguitates, per quas partibus satisfecisse censebatur, ille art. 23. suum roboravit Magisterium, satis faciendo Hungariae et Sclavoniae dum... conclusum est: ut Comitatus Sirmii, Veröcensis, et Poseganus per Suam Majestatem Sacratissimam posthac ad Diaetales Regni concursus evocandi intra reliquos Regni hujus (addit de suo) nempe Hungariae Comitatus Sessione et voto postliminio (aeque de suo observatu) gaudere possint, salva in reliquo Regni Hungariae (iterato de suo: exclusum ergo Sclavoniae Regnum) et Banali Jurisdictione.

Quod diversa, quam superior habet, clavi contributionem solvat, nihil officit; cum jure neoacquistico regatur, ac talia etiam beneficia habeat. Quibus stantibus omnes quacunque arte, et modo quaesitae involutiones inanes evadunt. — Ultro in inanibus suis desideriis progreditur D. Illustrans.

45. Quid plane Zagrabia, Varasdinum, Crisium, et Segnia inter neoacquisticas partes numerata etiam contra fidem Fejérianam? Semper aliquid debet adjici vel demi.

46. Etiam de talis tenoris Resolutione ddo. 30. Octob.

Digitized by Google

1698 dubitatur, quod contradiceret Rescripto an. 1697 per Fejér plene sub LXVII. in serie Dipl. descripto.

47. Comitatus tam inferioris, quam superioris Slavoniae ad Trans Dravanos ponit; cum autem Dravus inter Hungariam, et Slavoniam hucusque semper limes etiam per Hungaros, posteaquam Muraköz sibi appropriarunt, praetendatur, in Slavonia esse omnes dici debent: consequenter non Hungarici, qui solum sunt in quatvor circulis: cis Danubiano, trans Danubiano, ac cis et trans Tibiscanis.

48. Ex Diario Diaetali decisionem inter Regna tum legitimam remonstrabit, dum evicerit testimonium per se pro se valere, contra tot citatas leges, Diplomata, Geographos, et Historicos.

49. Hic probantur ita superioris, sicut et inferioris Slavoniae Comitatus ad Hungariam pertinere, cum omnes suas Symbolas in bonum publicum suae et suorum sociorum Patriae conferre debuerint.

50. Si inferioris Slavoniae Comitatus aequaliter cum hungaricis contribuunt, necessario aequaliter conscribi debent. Quantum ad conscriptores ex Hungaris ad inferioris Slavoniae Comitatus missos, mirum qualis consequentia inde per eum ducatur, qui ignorare non deberet: qualiter conscriptiones art. 7. 1827. praescriptae, peractae fuerint, quin aliqua praejudicia, et confusiones aliquis adhuc traxerit inde.

51. art. 92: 1715. 20: 1723. 7: 1729. 18: 1741. agunt in genere de Comitatibus, et locis neoacquisticis S. Regni Coronae reincorporandis. 118, 1715, 50: 1741 et 23: 1751. vero agunt pure de inferiori Slavonia. Articuli autem 113: 1715, 88: 1723, 49: 1741. soli de Varasdinensi, et Carolostadiensi Generalatibus, ut postremus 49: 1741 fidem perhibet. Reliqua videat in Responso ibi, ubi ipse Illustrans se remonstrasse praetendit.

52. Quis credere posset D. Illustranti, dum ignota citat, si clarissimos articulos confundere nihili ducit; articulus enim

Digitized by Google

92: 1715, ut in priori visum, agit in genere de reincorporandis receptis partibus. 113 sonat de Generalatu Varasd. et 116 de Zrinianis, et Frangepanianis bonis, et 118 de infer. Slavonia. Reliqua omnia ad quaestionem prorsus nihil pertinent.

53. Quod articulus 113: 1715. nec jota habeat de inferiori nostra Savonia coecus est, qui non videt. Adeoque inanis repetitio toties refutatorum.

54. Quod art. 18: 1741 aeque ad Slavoniam sicut ad Hungariam spectet, docet art. 50: 1741. cum in hoc ita art. 18. sicut et 118: 1715. provocetur; adeoque ulteriora eatenus dubia formare temerarium est. Districtus etiam explicatio nihil decidit; cum nemini ignotum sit, ipsum Magistrum Verböczi in praefatione ad Lectorem clare dixisse: Tot enim et plures sunt Districtus, ac Regiones, eas Nostri Comitatus appellant. Et in Cynosura P. I. de rebus, et actionibus sub ly: Comitatus: Est quasi Districtus quidam seu Provincia. Et minus est quam Comitatus. Ita Districtus Kis Honth Comitatui Gömerensi unitur a. 1802 art. 9. Ita Districtus Severinensis Comitatui Zagrab. Imo scitur, Comitatus in Processus, et Processus in Districtus dividi, quin etiam negetur, sub Districtu plures Comitatus complecti. Ita Districtus commissariaticus Zagrab. habet sub se Comitatus: Zagrab., Varasdinensem et Crisiensem. Syrmiensis: Comitatus Sirmiensem, Veröcensem, et Poseganum. Ita Posoniensis, et alii in Schematismo Hungarico conspicui. Sed et Districtus Fundi religionarii, Studiorum, Districtus litterarii, et alii. Imo integrum Regnum art. 100: 1723. in quatvor Regni Circulos, seu Districtus divisum esse scitur. Verum quod jam art. 18: 1741. Sirmiensis Districtus ita intellectus fuisset, quasi Veröcensis et Poseganus Comitatus jam illi inclusi fuissent, est ita haud verum: sicut quod sub Temesiensi Districtu articulo eodem formales aliqui Comitatus, et in specie Békessiensis, Zeurinensis, Marmarosensis, Kövar, Közép Szolnok, qui etiam art. 92: 1715. occurrunt, et hic non commemorantur, inclusi fuis-

Digitized by Google

sent, cum Hungarus Ladislaus Bielek in sua: Ethnographisch-Geographische Statistik des Königreiches Ungarn, und dessen Nebenländer 1837. I. Band. p. 210 habeat: »Das sogenannte Banat ist ein bedeutender District im südlichen Ungarn; umfasst die drei im Jahre 1779 errichteten Comitate: Temes, Torontal, Krasso nebst den anliegenden Grenz-Regimentern.« Nec proinde eotum de alio Districtu sermonem articulo 18: 1741. adhuc contineri potuisse, quam de militari et camerali, qui teste p. 71. Partis II. proprio Austriaco more, seorsim ab Hungaria stricte sumta administrabantur. Hic vel invito motu incidit antiquus Paedagogus, qui totam suam per longa annorum servitia in haustis quibusdam fixis ideis scientiam reponit, eamque ita pueris proponere studet, ut admirationem excitet eo majorem, quod alios omnes aliter sentientes ignorantiae arguat.

Et Croatae rectum habebant, quod inferiorem Slavoniam Jurisdictioni Regni, et Bani reincorporandam postulaverint ex Diplomate etiam Uladislai II. Regno Slavoniae an. 1496 dato, siquidem occurrentia ibi horum facinora optime referantur ad inferiorem Slavoniam, quod per elisa sua falsa supposita clarius adhuc evictum fuit, prout videre est in responso ad suum 12. Partis I. p. 57 punctum, prout omnino factum fuisse tenore altissimi ddo. 28. Sept. 1697. Rescripti ad SS. et OO. Regni Croatiae B. dimissi, et superius per extensum descripti clarum fit, et articuli 50: 1741. et 23: 1751. docent. Prosequitur ultro provocationem ad synchronos suos scriptores. Et quidem:

55. Iterato Ladislaum Szörény, de hoc jam satis dictum quo sensu idem Hungariam sumpserit, et id relegatur ad eadem, et paginas ipsius operis 15, 17, 18, 21, 22, 37, 83. 106. totumque ab initio usque ad finem, ne illi injuria inferatur, quod sibi contradicat.

56. Quid Samuel Timon ex legibus plane quaestionatos Comitatus non Slavonicos esse ostendit? Indubie non legit,

Digitized by Google

aut non intellexit art. 34: 1498. et 91: 1715. et hos omnes praecedentem 4: 1445 apud Kovachich suppl. Vestig. Com. Sylloge T. I. p. 98.

57. Georg. Pray p. 79—82. mirum quod hic ex Savonia, cui inclusi sunt quaestionati Comitatus, eos excludat. Alter Pray habet in H. R. H. P. III. p. 414. partes ab Essekino usque Belgradum Slavoniam appellat dicendo: Diu deliberatum est: Albaene, an Temesvarino tantus exercitus admovendus esset, vel recte Essekinum ad viam sensim Belgradum parandam ducendus? Hoc Caesari prae aliis probatum, quo occupato Slavonia tuta redderetur.

58. Caroli Palma assertum in Responso ad Fejérianum §. 42. et alios satis refutatum. Hic fuerat Scriptor elegans, sed non securus Critico-historicus. Nec in Historia authoritas decidit, sed facta legitime probari debent. Sed et Pater Timon monet, cavendum Volfgangum Lazium, Com. Reip. L. 12. C. 3. restitutionem Episcopatus Sirmiensis Divo Nostro Proto Regi adscribentem.

59. Joannes Szegedy sibi non constat; habet enim Editionis Zagrab. 1762. p. 303. animadversionem in Verböczium, quod hos Comitatus licet trans Dravum hungaricis immisceat. In reliquo erronee provocat ad art. 92. transsaltando 91: 1715.

Ex his omnibus in medium productis, et sano sensu sumptis, nihil est, quod criticum de eo persvadere posset: Comitatus inferioris Slavoniae: Sirmiensem, Veröcze et Poseganum, nec non confiniarias Legiones: Gradiscanam, Brodensem et Petrovaradinensem partes integrantes Hungariae stricte sumptae exstitisse.

Sed nec felicior est in expendenda, quae circa medium Sec. XVIII. cum hac Regione intercessisset metamorphoseos historia. Unde constat, quod C. Alexander Patachich, Generalis B. ab Engelshofen. B. Ladislaus Vayay, Joannes Busan, Joannes Szaich, et Balthasar Kercselich cognitione an-

Digitized by Google

teactarum rerum historica, et Partium illarum carentes, sine anteactis operati fuerint, ac ita primi nomenclationem inf. Slavoniae ethnographicam an. 1745. induxerint ad hos a se erectos tres Comitatus, et Bani Jurisdictionem extendere officiose coeperint. Cum Kercselich p. 476. Not. pr. jam anno 1697. exstitisse Supremos Comites Valkovariensem C. Joannem Draskovich, Veröcensem autem, et Poseganum C. Davidem Ivanovich referat, et eorum mentio etiam recurrat in B. ad SS. et OO. Regni Croatiae dimisso per Leopoldum Rescripto 28. Sept. 1697. Et inde:

1. Errat D. Illustrans, quod sicut apud Vulgus, et novos Advenas Germanos, in locum Rasciae substituta a vicino Slavoniae Regno nova Slavoniae appellatio invaluisset ideo, quod 4 Croatae, unus indifferens bellicus Commissarius, et unicus Hungarus fuerit, cum non missi fuerint ad baptisandas illas partes, velut jam olim et 1697. B. edito Rescripto tale nomen habere recognitas; ita quoque quod tres Comitatus Zagrab., Varasd. et Crisiensis sub axiomate propriae Slavoniae venientes nomine Croatiae pedetentim compellari coeperint, cum totus Tractus a Dravo, vel a fluvio Mura, qui etiam Savus compellabatur, usque mare Adriaticum proprie Croatia sit, et Slavoniae nomen erronee a Savonia, teste etiam Petro Ranzani, apud exteros Scriptores quasi ab Incolis, qui etiam Slavicae originis sunt, invaluerit. Est verum, quod Maritima Croatia ita austriacum littorale compellari potuerit, sicut nunc hungaricum esse praetenditur non solum nomine, sed plane per vim, et praepotentiam re hungaricum, quod nisi Croatae defendissent, jam pridem perivisset, sicut et cum Dalmatia penes socios Hungaros factum esse, proh dolor! scitur. Errat quoque

2. Quod solus nisus Catholicam Religionem cum exclusione Evangelicorum nominationis Slavoniae ansam dederit; cum hoc nomen ex art. 4. an. 1445. 34: 1498. 91: 1715 quaestionatae partes jam habuerint. Non habet etiam rectum

Digitized by Google

3. Quod ideo, quia iidem Comitatus per quospiam Scriptores Regno Hungariae reincorporati asseruntur, partes integrantes ejusdem Regni effecti sint; cum nemo ignoret, quod associata associantis nomen accipere soleant, prout et tota Hungaria sub nomine Imperii Austriaci passim scribitur, quin per id Tractatus, et pacta legitime inita invalidentur.

Ad Kercselichium, qui partim ex ignorantia critices, ut ipse fatetur, defectu chartarum Geographicarum, ac multum etiam propter collisiones cum suis concanonicis, ut praetensas injurias pro suo tali quali posse vindicet, et penes Hungaros gratias, patrociniumque inveniat, saepe multa confudit, et e proprio capite protulit, sibi ipsi reconciliandum, opus est et illud non celare, quod idem praeter quod jam p. 123 post multa dubia ultimatim tamen recognoscat: Sirmiensis Provincia ob Duces Sirmienses . . modo includebatur, modo excludebatur a Sclavonia, sub ipsis Hungariae Regibus. Perhibentibus attamen monumentis: Valpo, Valco, Verocza, Posega ad Sclavoniam Regni Hungariae, tum quoque pertinebant, dum Sirmio sui fuere Duces. Pro temporum Reipublicae circumstantiis considerabatur, fuitque latior, jam arctior (Sclavonia olim) et de suo tempore habet clare p. 476: Quod Supremis Comitibus: Comitibus quippe Draskovich, et Ivanovich per Suam Majestatem mox a recuperata Slavonia ante etiam emanatum superius descriptum 28. Sept. 1697. Diploma B. nominatis, officium suum deprecantibus, SS. et OO. superioris Slavoniae an. 1698. 1. Febr. in servata Varasdini praesente Bano Conferentia Banali hujus Locumtenens pro partibus neoacquisticis in Slavonia inferiore constitutus fuerit Petrus Gotthal cum Instructione sequenti:

I. Cum partes illae neo-recuperatae per Suam Majestatem Sacratissimam Dominis Statibus Regnorum horum tanquam et ab olim ad Sclavoniam pertinentes, reincorporatae et subjectae sint; earumque loca et inspectio Status Politici, in ordinem redigenda essent, ut tandem temporis successu,

Digitized by Google

adinstar reliquorum Comitatuum horum Regnorum vigere et permanere, gubernarique possint; ibidem vero ad praesens, ob graves curas suas publicas, quibus erga Comitatus et Status horum Regnorum, servitiumque Suae Sacratissmae Majestatis, Excellm. D. Comes Banus detineretur, serius adesse, et per se immediate necessitatibus illarum partium ibi vigentibus, vel vigendis, ac relationem exigentibus, prospicere nequiret; Domini vero Supremi Comites ex defectu residentiarum, et hactenus ibidem accommodationem rarius mansuri praeviderentur, ne per talem eorundem absentiam, Domini Status, in jure suo ibidem habito, et per Suam Majest. Dominum eorum Clementissimum, benigne denuo recognito, praejudicium subeant; intermissique Suae Majestatis Sacratissimae in eo, vel ibidem Servitii defectus DD. Statibus imputetur: neque secus, neque pro nunc satius conferre, et statuere poterant Domini Deputati, quam ut medio Locumtenentis Banalis officii defunctione sua, praesentibus instructi iisdem partibus, et earum incolis (salvis Dominorum Supremorum Comitum in reliquo juribus et praerogativis) prospectum sit intelligatur. Ac proinde ac praeprimis

II. Officii ejusdem D. Locumtenentis, ut principale erit: ut incolis earum Partium de administranda justitia, per eorum Supremos Comites et Vice-Comites omnimode prospiciat: ad celebrandas Sedrias eosdem, quo frequentius fieri poterit, et necessitas postulaverit, urgeat, ut deinde justitiae tramite exequendorum executio peragatur, prospiciat; Dominis vero Comitibus, vel ob absentiam suam, vel alio de casu intermittentibus, ipse, per D. Vice-Comites et Judlium, sedes judiciarias celebrare, promotioni justitiae invigilare curabit; in malefactorum animadversionem, poenaque condigna punitionem, curam suam omnimodam impendendo.

III. Sedriis Comitatuum, in praesentia, vel absentia DD. Supremorum Comitum celebrandis, ipse etiam semper adesse conabitur, immo pro omni possibili adsit; cum in illis

Digitized by Google

partibus personarum litteratarum, et in jure patrio versatarum, sit parvitas et parcitas; adeoque Locumtenens qua directioni et inviationi necessarius futurus judicatur.

IV. Conabitur omni studio D. Locumtenens: ut vera orthodoxa fides, et ejus religio in illis partibus promoveatur et augeatur. Cujus ex respectu et desiderio invigilabit et laborabit, ut in antiquis Parochiis Presbytheri Saeculares et regulares Dioecesis Zagrabiensis applicentur, et accomodentur; Illustrissimi D. Episcopi Zagrab. opem et Succursum, ac Confiniorum etiam Exc. D. Generalis, ubi necessitas postulaverit, tutandorum talium gratia, opem implorando; cavendo etiam omni suo pro posse, ut, cum partes illae Regnis his incorporatae sint, et ab olim quoque perpetuo ibidem orthodoxa religio duntaxat viguerit, ne alienae, notanter haereticae professionis homines subintrent, et si comperirentur, vel intrare vellent, DD. Statibus protinus manifestabit, ut ipsi sine mora Suam Majestatem Sacratissimam desuper invocare et interpellare possint.

V. Plurima siquidem hactenus damna et graves injurias, occasione quarteriorum, partes illae expertae sunt, quorum etiam Sacratissima Majestas benigne in gratiosis suis mandatis, et intimatoriis, ad DD. Status datis meminit, amodoque talia praecaveri cupit: Immo respectu talium, Essekini institutum hactenus, vel proxime instituendum sit certum dicasterium; D. Locumtenentis Banalis illud quoque erit muneris et obligationis, ut talia per DD. Vice-Comites vel Judlium, si idonei fuerint, tempore hybernorum menstruatim per modum inquisitionis curet conscribi, ac pro adipiscenda per injuriatos et damnificatos competenti satisfactione, praescito dicasterio, per manus ejus, qui Regni Statuum nomine eidem dicasterio incorporabitur; eo vero absente, per se repraesentabit: et ablegato eorum penes Augustam Aulam pro tempore constituto, pro urgenda satisfactione intimabit.

VI. Tempore Castrorum, et militaris servitii Suae Maje-

Digitized by Google

statis Sacratissimae si DD. Supremi Comites, vel alteruter eorum, abessent, ipse copiis Comitatuum plena facultate, et in Banali authoritate praesit, insurrectionemque ad intimationem Comitis Bani; in subitanea vero necessitate earundem partium etiam auctoritate publicabit.

VII. Locumtenens in illis partibus residebit. Quo etiam intuitu Excelsae Commissioni in illis partibus institutae, de obtinendis in arendam quibusdam bonis, immo, si opus fuerit, Suae Majestati Sacratissimae commendabitur. Neque inde hyberno, et quarteriorum tempore, sine Comitis Bani; Sua vero Excellentia absente, DD. Deputatorum licentia abire audebit. In aestate tamen, nisi Castrensia servitia obstiterint, singulo tertio mense, in hujatia etiam bona excurrere, et ibidem morari poterit. Id tamen ita intelligendo, ut id D. Comiti Bano, si in Regno fuerit, alioquin suo D. Locumtenenti, significare non intermittat, et Castrense servitium sibi impositum, non negligat.

VIII. In juridicis, et justitiae, Politiaeque negotiis, ex Comitatibus, ubi abesset Supremus Comes, habebit facultatem D. Locumtenens quaerelas, et gravamina incolarum exaudire, et pro judicio et satisfactione ad Comites delegare: ubi vero interessati essent Vice-Comites, extunc ipse judicium ferre, et executioni mancipare poterit; salva et hic caeterum authoritate Supremorum Comitum remanente.

IX. Stipendium ejusdem D. Locumtenentis ad feliciora tempora, quibus etiam augeri poterit, Rh. 400 ordinantur, quod pro primo anno DD. Status de proprio aerario; sequentibus vero annis illarum partium incolae, et Comitatuum illorum Status administrare tenebuntur.« Dein non celat I. Slavoniam inferiorem post ejus recuperationem a Leopoldo Rege his superioris Sclavoniae Statibus exstitisse reincorporatam, restitutamque. Quare, ut expresse fatetur, rerum domesticarum exiguam fuisse cognitionem Proto-Notario anno 1751, qui ut pag. 406. in articulo 23. lusit, hinc fit manife-

Digitized by Google

stum 2. Tum illico datos fuisse Supremos Comites. 3. Ad servandam in illa Banalem Jurisdictionem, Locumtenentem Banalem inferioris Slavoniae fuisse constitutum, regulatumque. 4. Non obstante Militari Jurisdictione, copias insuper Comitatus fuisse ordinatas, quibus Locumtenens juxta tenores puncti 6. praeesset etc.

Hic Kercselichio fides est adhibenda, quia de talibus loquitur, quae adhuc in publicis Actis exstant, quaeve, applicitis recte sensibus, non poterant non videri, aut quibus ipse ex Officio intererat. Unice, quae ex suo addit, non est fides historica, sed opinio solum hominis liberae crisi obnoxia.

Hic addere lubet, quod apud Marcum Ant. de Dominis Archi-Episcopum quondam Spalatensem legitur, optime sane monuit Onuphrius Pannonius in Libro de Comitiis Imperatoriis, et cum eo Bellarminus de translatione Imp. l. 1. C. 10: »*Non esse fidelis historici rem describere, ut fieri debuisset; sed ut facta est; alioquin enim, inquit, non res gestae scribuntur, sed mendacia obtruduntur. Quid autem factum sit, non ex Philosophiae promptuariis hauriendum est, sed eorum narratione, ac fide, qui interfuerunt, acceperunt; aut certe, qui aliorum testimonio sibi commendata litteris, ac memoriae tradiderunt,*« et concludere animadversiones cum eo, quod cum nec tempus, nec modus, sed nec titulus: quando, qualiterve, ac quo jure ante tempus S. Ladislai, aut potius Colomani Hungari inferiorem Slavoniam, aut totam, aut aliquam ejus particellam vel potuissent occupare, et si per inconcessum etiam aliquando occupassent, quando, qua ratione, quove ex incidente Croatis denuo cessissent, erui queat; necessario sequatur, quod nullatens credi possit, hoc unquam eos etiam prius fecisse, quod erat demonstrandum. Ut satius sit nihil conari, quam verba solum fundere, et tota re errare, clara nequit obscurari veritas.

Et inde viderit etiam operis Gyurikovichiani Recensor, quisquis is demum fuerit, quam incautum sit absque prae-

Digitized by Google

vio fundamentorum examine quasi in glacie aliquid aedificare. Commenta rerum delet dies, scribimus indocti, doctique laudatores similes habituri. Inferior Slavonia, sicut superior, est originarie pars verae Croatiae; subin per Scriptores ex quondanea Pannonia interamnensi Savonia a Savo, qui eam maxima ex parte concludit, vocata, per alios dein addito *cl*, vel solo *l* Sclavoniae vel Slavoniae nomen acceperat; sed et a Slavo populo, quod et Croatae originarie sunt, ab initio sola, et successive tota Croatia ethnographicum hoc nomen, tum a Scriptoribus cum et a Regibus legibusque; per nullum vero publicum Tractatum obtinuit, quin aliquid per id vel lucrata sit, vel perdiderit. Sicut et Pannonia olim fuerat sola ea modernae Hungariae pars, quae Danubium a Septentrione habuit limitem, ubi successive pro tota Hungaria Pannonia sumitur per Scriptores, ut videre est apud Schvandtner T. I. p. 57, 347, 847. Tractus vero ille, qui, ut in sensu Episcopi Szörény loquar, Dravi, et Savi ostiis, quod Danubius belle Dravo includatur, clauditur, Savonia, Slavonia fuerat compellata, et ea primum Epocha in superiorem, et inferiorem dividi communiter coeperat, dum post recuperationem a Turcica Tyrannide superior pars jure antiquo Croatico; inferior autem jure neoacquistico administrari videretur, atque inde etiam superior passim Croatia compellatur adeo, ut superior Slavonia vel Croatia homonymum sit, et sola inferior Slavoniae nomen adhuc portet, quin alicui, qui debite tempora distinguit, anxietates quaepiam eatenus causari debeant. Nec restat proinde aliud, quam ut praemissae Lucubrationes absque ira, et odio, eo, quo mentis candore, et animi sinceritate concinnatae sunt, a cunctis accipiantur.

Digitized by Google

Errata :		Corrige :
Pag. 11.	linea 4. Danubium in Dravus	In Danubium Dravus
» 18.	» 32. Capitulum Varasdinense	Capitulum Varadinense
» 22.	» 16. Regnorum Slavoniae	Regnoque Slavoniae
» 26.	» 23. Ex XLVII. ad XLVIII.	Ex XLVII. ad LXVIII.
» 41.	finali: Posteri Romanorum	Pastores Romanorum
» 42.	linea 1. Terra	Terram
» »	» 4. Ennarrabant	Et narrabant
» »	» 17. ad fluvium Soniou	ad fluvium Souiou
» 43.	» 10. His subin	Hi subin
» 51.	» 11. Scriptori	Suppari Const. Porph.
» 59.	» 30. T. I. p.	T. I. p. 5. et 207.
» 77.	» 2. sub suis Regibus	sub his Regibus
» 78.	» 9. ac tertiam	ac tertium
» 83.	» 9. implicatus modus	implicatus nodus
» 86.	» 26. Farlatiana non occur.	Farlatiana occurrit
» 97.	» 24. Ordinariis Mag.	Ordinarius Magistratus
» 103.	» 28. Si quidem	Siquidem
» 122.	» 21. eo obtinendi	ea obtinendi
» 156.	» 17. quaestionatis	quaestionatus
» 177.	» 7. Nuncius Ablegatis	Nunciis ablegatis

Digitized by Google

24. V. 1929

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google